Némethy, Géza
Commentarius exegeticus ad Ovidii Tristia

COMMENTARII EXEGETICI
AD SCRIPTORES GRÆCOS ET ROMANOS
A COLLEGIO PHILOLOGICO CLASSICO
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ PUBLICI IURIS FACTI.

COMMENTARIUS EXEGETICUS
AD OVIDII TRISTIA

SCRIPSIT
GEYZA NÉMETHY
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS

BUDAPESTINI
SUMPTIBUS ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ
MCMXIII.
Pretium 3 cor.

COMMENTARII EXEGETICI

AD SCRIPTORES GRÆCOS ET ROMANOS

A COLLEGIO PHILOLOGICO CLASSICO

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ

PUBLICI IURIS FACTI.

COMMENTARIUS EXEGETICUS AD OVIDII TRISTIA

BUDAPESTINI

TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANÆ

MCMXIII.

COMMENTARIUS EXEGETICUS AD OVIDII TRISTIA

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS

BUDAPESTINI
SUMPTIBUS ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ
MCMXIII.

PRÆFATIO CRITICA.

In hoc opusculo id mihi fuit maxime propositum, ut libros Tristium ab interpretibus iam pridem immerito neglectos brevi interpretatione, quæ dicitur, verbali instruerem utque in commentario exegetico non solum virorum doctorum, sed etiam civium Academicorum rationibus consulerem. Eodem consilio edidimus sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ Ovidii Amores (Budapestini, an. 1907.) eademque mox ratione Epistulas ex Ponto interpretari nobis in animo est.

In verbis poetæ constituendis Ehwaldium secutus sum ducem locosque omnes, ubi a præstantissima eius recensione (Lipsiæ apud Teubnerum publici iuris facta) secedendum putavi, hic afferam.

In libro primo: II. vs. 81. quo: ex mea coniectura — quod. II. vs. 104. pius: codices plurimi — piis. III. vs. 29. ad hanc: excerpta Angeli Politiani — ab hac. IV. vs. 16. ratis: ex mea coniectura — rati. V. vs. 35. lassis: codex Palatinus I. — laesis. V. vs. 62. Cæsaris ira: codex Palatinus I. — Sarmaticosque. VIII. vs. 20. loqui: cod. Guelferbytanus et Palatinus I. — pati. VIII. vs. 21. valedicere: codices — vel dicere: scripserunt Merkel et Riese. VIII. vs. 48. umeris . . . tuis: ex mea coniectura — numeris . . . suis. X. vs. 46. adeste: codices plurimi — adesse.

In libro secundo: vs. 86. *ipsa:* codices — ipse. vs. 92. eram: codex Laurentianus manu tertia — erit. vs. 111. quae: ex mea coniectura — quoque. vs. 115. ortu: codices plurimi — astu. vs. 175. tui es: ex mea coniectura — tui. vs. 236. vitiis:

ex mea coniectura — multis. vs. 281. multis: codices plurimi — mimi. vs. 282. cum: codices plurimi — cur. vs. 299. Venere . . . Luna: codices pauci — Venerem . . . Lunam. vs. 300. Cerere: codices pauci — Cererem. vs. 305. inrupit: codices deteriores — erupit. vs. 346. quas: codices plurimi — quis. vs. 419. mixta: codex Palatinus I. — salva. vs. 474. vincere: scripserunt Naugerius et Merula — figere. vs. 507. quoque: codex Laurentianus — quodque. vs. 521. vestris: codices — nostris. vs. 542. inreprehensus: codex Holkhamicus manu secunda — inrevocatus. vs. 568. ego: codices plurimi — ero.

In libro tertio: I. vs. 39. adposita: codices deteriores — opposita. I. vs. 40. fores: codex Palatinus I. — comas. I. vs. 59. timore: codices pauci — tenore. IV. vs. 6. arce: codices plurimi — igne. IV. vs. 8. si quis: codices plurimi — plurimum. IV. vs. 55. absunt: codices plurimi — adsunt. VI. vs. 8. cognitus est . . . iste: codices plurimi — cognita sunt . . . ista. VI. vs. 16. clausum est: ex mea coniectura — claudent. VII. vs. 28. fata: codices pauci — facta. VIII. vs. 36. videnda: codices deteriores — legenda. IX. vs. 20. aut: ex mea coniectura — et. X. vs. 11. vetat: ex coniectura Merkelii — patet. X. vs. 11. habitare: codex Guelferbytanus — iniecta. XII. vs. 1. tandemque peracta est: coniecit Koch — annoque peracto. XII. vs. 2. Mæotis: codices — Tomitis. XIII. vs. 9. relinquenda: scripsit Heinsius — relinquendo. XIV. vs. 5. suscipis: codices pauci — suspicis.

In libro quarto: I. vs. 10. versat: deteriores pauci — pulsat. I. vs. 21. nec iter nec Thracia tela: codex Palatinus I. — Sinti nec militis ensem. I. vs. 42. Edonis . . . iugis: codex Guelferbytanus et Palatinus I. — Idaeis . . . modis. II. vs. 53. paventes: deteriores pauci — canente. III. vs. 83. facta: ex mea coniectura — freta. IV. vs. 47. vivat: codices — vivam. X. vs. 96. equus: codex Laurentianus manu recentiore — eques.

In libro quinto: I. vs. 23. nubila: ex mea coniectura — publica. I. vs. 44. malo: liber Hugenii — ioco. II. vs. 33. traicerer: codies plurimi — traicerem. III. vs. 35. altam: codices pauci — altera. III. vs. 50. deponat: codices plurimi — apponat. V. vs. 45. morum: ex mea coniectura — moris. VIII. vs. 30. dabit: coniecit T. Faber — petam. VIII. vs. 32. isse: codices plurimi — esse. IX. vs. 35. nisi me: codices deteriores — si non. X. vs. 41. se: coniecit C. Schenkl — me. X. vs. 41. dici: coniecit Heinsius — si quid. XII. vs. 11. hic valido: editiones veteres — invalido. XIV. 31. pretii . . . petiti: codices plurimi — pretium . . . petitum.

Dabam Budapestini mense Ianuarioa. CMMXIII.

Geyza Némethy

Academiæ Litterarum Hungaricæ sodalis.

ADNOTATIONES

AD LIBRUM PRIMUM.

Lib. I. eleg. 1.

Ad librum suum Romam mittendum.

Relegatus est Ovidius sub finem anni p. Chr. n. 8. Navem conscendit Brundisii, mense Decembri navigavit in mari Adriatico, deinde per mare Ionium (cf. Trist. I. 4, 3.) et sinum Corinthium se contulit Lechæum, in portum Corinthi, Isthmoque pedibus superato Cenchreas, unde alteram navem ingressus Asiæ litora legit eaque prætervectus insulam Samothraciam, tertia denique nave Tempyra, oppidum Thraciæ adiit (cf. Trist. I. 10. et 11.). Liber primus Tristium scriptus est in hoc itinere et Tempyris Romam missus videtur, antequam poeta terrestri itinere per Thraciam Tomos petiisset.

V. 1—3. *Parve, nec invideo, sine me, liber, ibis in urbem*, cf. Stratonis epigramma (Anth. Pal. XII. 208, 1—2.): *Εὐτυχές, οὐ φθονέω, βιβλίδιον, ἦ ῥά σ' ἀναγνοὺς Παῖς τις ἀναθλίβει πρὸς τὰ γένεια τιθείς.* — *nec invideo*, i. e. non invideo hoc tibi, meus enim liber es. — *domino*, auctori. — *incultus, qualem decet exulis esse*, exules enim, sicut lugentes, corporis cultum neglegere solebant; cf. infra III. 1, 13. (de libro suo): «Quod neque sum cedro flavus nec pumice levis, Erubui domino cultior esse meo».

V. 5—6. *Nec te purpureo* etc., vss. 5—12. Ovidius imitatur Lygdamum semper contrarium illi dicens, quod Lygdamus de libro suo Neæræ die Matronalium mittendo eleganterque ornando dixit 1, 9—14: «Lutea sed niveum involvat membrana libellum, Pumex cui canas tondeat ante comas, Summaque prætexat *minium** fastigia chartæ, Indicet ut nomen littera facta tuum, Atque

* Ex mea coniectura; cf. *Rhein. Mus.* an. 1909. p. 470 sqq.

inter geminas pingantur cornua frontes: Sic etenim comptum mittere oportet opus». Lygdamum et Ovidium simul imitatur Martial. III. 2, 7—11: «Cedro nunc licet ambules perunctus Et frontis gemino decens honore Pictis luxurieris umbilicis, Et te purpura delicata velet Et cocco rubeat superbus index». — *Nec te purpureo velent vaccinia fuco,* volumen papyraceum apud antiquos tegebatur involucro membranaceo. Hoc involucrum erat plerumque rubro aut flavo colore pictum, unde Lygd. 1, 9: «Lutea sed niveum involvat membrana libellum» et Martial. III. 2, 10: «Et te purpura delicata velet». — *purpureo . . . vaccinia fuco,* cf. Vitruv. l. VII. c. 14: «Vaccinii flores ad ignem cum aqua temperantes et lac miscentes purpuram faciunt elegantem». — *ille color,* sc. ruber.

V. 7—8. *Nec titulus minio . . . notetur,* titulus sive index libri significat schedulam illam superiori oræ libri adfixam et ex more antiquorum sæpe minio pictam, cui inscriptum erat auctoris et libri nomen; cf. Lygd. 1, 11: «Summaque prætexat minium fastigia chartæ» et Martial. III. 2, 11: «cocco rubeat superbus index». — *nec cedro charta notetur,* cf. Vitruv. II. 9, 13: «Ex cedro oleum, quod cedrium dicitur, nascitur, quo reliquæ res cum sunt unctæ, uti etiam *libri,* a tineis et a carie non læduntur». Charta autem (i. e. papyrus) oleo cedrino illita flavum ducebat colorem; cf. infra III. 1, 13: «Quod neque sum cedro *flavus* nec pumice levis». — *notetur,* pingatur. — *Candida nec nigra cornua fronte geras,* extremæ voluminis oræ impactus erat bacillus teres, cui liber circumvolveretur. Partes huius bacilli extremæ inter oras libri convoluti supra et infra exstantes vocabantur umbilici sive cornua, quæ pingebantur diversis coloribus. Cf. Lygd. 1, 13: «Atque inter geminas pingantur cornua frontes» et Martial. III. 2, 8—9: «Et frontis gemino decens honore Pictis luxurieris umbilicis». — *nigra . . . fronte,* oræ (superior et inferior) libri vocabantur frontes. Ovidius frontes libri sui ad luctum significandum nigro colore pingendas censet.

V. 11—14. *Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes,* oræ papyri, ne quid asperi remaneret, poliebantur pumice; cf. Lygd. 1, 10: «Pumex cui canas tondeat ante comas». — *geminæ . . . frontes,* oræ (superior et inferior) libri. — *Hirsutus sparsis ut videare*

comis, capilli enim passi et impexi apud antiquos erant signum luctus. — *comis*, fibræ papyri extantes, ut apud Lygd. I. 1. — *Nere lituratum pudeat* etc., ut infra III. 1, 15—16: «Littera suffusas quod habet maculosa lituras, Læsit opus lacrimis ipse poeta suum».

V. 16. *Contingam certe quo licet illa pede*, i. e. non pede meo, quod non licet, sed pede versus mei.

V. 17. *ut in populo*, quantum id fieri potest in populo tanto, in tumultu urbis tantæ, ut aliquis mei reminiscatur. Cf. infra II. 158: «Cuius, ut in populo, pars ego nuper eram»; Ep. ex Pont. IV. 5, 11: «Si quis, ut in populo, qui sitis et unde, requirat» et I. 7, 15—16: «Cetera sit sospes cultorum turba tuorum, In quibus, ut populo, pars ego parva fui»; Hor. Sat. I. 6, 78—80: «Vestem servosque sequentes, In magno ut populo, si quis vidisset, avita Ex re præberi sumptus mihi crederet illos.» — *illi*, adverbium: *illic*, ut infra II. 373.

V. 20. *Id quoque, quod vivam, munus habere dei*, sc. Augusti; poeta sæpe commemorat Augusti clementiam in pœna sua, ut infra I. 2, 61: «Quamque dedit vitam mitissima Cæsaris ira», II. 125: «Cuius in eventu pœnæ clementia tanta est, Venerit ut nostro lenior illa metu. Vita data est citraque necem tua constitit ira, O princeps parce viribus use tuis». IV. 8, 40: «Nec tamen errori vita negata meo est», V. 2, 55: «Ira quidem moderata tua est vitamque dedisti», V. 10, 51: «ipsam quoque perdere vitam Cæsaris offenso numine dignus eram», V. 11, 15: «Nec vitam nec opes nec ius mihi civis ademit, Quæ merui vitio perdere cuncta meo»; Ex Pont. I. 7, 47: «Nec vitam nec opes nec ademit posse reverti».

V. 21. *quærenti plura legendus*, i. e. qui plura scire volet, legere te debebit.

V. 27. *ademptum*, tamquam morte abreptum; est enim exilium ei mortis instar; cf. Ep. ex Pont. II. 3, 42: «Instar et hanc vitam mortis habere puta».

V. 37—38. *Iudicis officium est ut res, ita tempora rerum Quærere*, cf. infra III. 14, 29: «Aequus erit scriptis, quorum cognoverit esse Exilium tempus barbariamque locum».

V. 39. *Carmina proveniunt animo deducta sereno*, cf. infra V. 12, 3: «Carmina lætum Sunt opus et pacem mentis habere volunt». —

proveniunt, prospere cedunt, succedunt. — *deducta*, imago a nendi actione sumpta: deducere versum, ut filum de colo; cf. Hor. Ep. II. 1. 225: «tenui deducta poemata filo» et Sat. II, 1, 3—4: «similesque meorum Mille die versus deduci posse»: Propert. I. 16, 41: «tibi sæpe novo deduxi carmina versu».

V. 41. *Carmina secessum scribentis et otia quærunt*, cf. Hor. Ep. II. 2, 77: «Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbem» et Carm. I. 1, 30: «me gelidum nemus Nympharumque leves cum Satyris chori Secernunt populo»: Tacit. Dial. 9: «poetis, ut ipsi dicunt, in nemora et lucos, i. e. in solitudinem secedendum est».

V. 43—44. *ego perditus ensem Hæsurum iugulo iam puto*, terruit Ovidium iter terrestre per feras Thraciæ gentes usque ad Tomos faciendum; cf. infra I. 10, 25: «Attigero portum (sc. Tempyra in Thracia), portu terrebor ab ipso: Plus habet infesta terra timoris aqua. Nam simul insidiis terræ pelagique laboro Et faciunt geminos *ensis* et unda metus», et IV. 1, 21: «nec insidias nec iter nec Thracia tela»; Ep. ex Pont. IV. 5, 35. (ad Sextum Pompeium): «Sanguine Bistonium (i. e. Thracium) quod non tepefecerit *ensem*, Effectum cura pectoris esse tui».

V. 47. *Mæoniden*, Homerum Smyrnæ in Mæonia (Lydia) natum. — *tot circumice casus*, i. e. tot casibus eum circumda.

V. 49. *securus famæ*, famam non curans.

V. 53. *tituli . . . amore*, sensu translato: laudis, gloriæ; est enim titulus inscriptio laudatoria in monumentis. Cf. infra I. 11, 30: «titulum nostræ mortis» et V. 12, 37: «Denique non parvas animo dat gloria vires Et fecunda facit pectora *laudis amor*. Nominis et famæ quondam fulgore trahebar, Dum tulit antemnas aura secunda meas. Non adeo est bene nunc, ut sit mihi *gloria* curæ».

V. 56. *ingenio sic fuga parta meo*, nam Arte Amatoria, opere poetico ingeniosissimo, in se vertit Augusti iram; cf. infra II. 2: «Ingenio perii qui miser ipse meo» et III. 3, 73: «tenerorum lusor amorum Ingenio perii Naso poeta meo». — *fuga*, exilium.

V. 61. *titulo*, inscriptione nomen auctoris indicante. — *ipso noscere colore*, cf. adn. supra ad vs. 8: «nigra fronte».

V. 67. *præceptor amoris*, ut Ars Amatoria. — *Quas meruit, poenas iam dedit illud opus*, Augustus libros Artis Amatoriæ non

solum ex bibliothecis publicis, sed etiam ex privatis removendas curasse videtur; cf. Ep. ex Pont. I. 1, 11. (ad Brutum): «Quæris, ubi hos (sc. libros Epistularum ex Ponto) possis nullo componere læso? Qua steterant Artes, pars (sc. bibliothecæ tuæ) vacat illa tibi».

V. 69. *in alta Palatia*, in monte Palatino erat domus Augusti.

V. 72. *ab arce*, tamquam ab arce cæli.

V. 75—76. *Terretur minimo pennæ stridore columba* etc., cf. Ep. ex Pont. II. 2, 35: «Accipitremque timens pennis trepidantibus ales Audet ad humanos fessa venire sinus» et Metam. VI. 529: «Utque columba suo madefactis sanguine plumis Horret adhuc avidosque timet, quibus hæserat, ungues».

V. 78. *Excussa est avidi dentibus agna lupi*, cf. Ov. Met. VI. 527: «Illa tremit velut agna pavens, quæ saucia cani Ore *excussa* lupi nondum sibi tuta videtur». — *Excussa*, erepta.

V. 79—80. *Phaethon*, cf. Cic. De off. III. 94: «Sol Phaethonti filio . . . facturum se esse dixit, quidquid optasset; optavit, ut in currum patris tolleretur; sublatus est; atque is, antequam constitit, ictu fulminis deflagravit.» — *equos*, alatos Solis equos currumque.

V. 83. *Argolica de classe Capherea fugit*. Caphereus est promunturium insulæ Euboeæ, ubi classis Græcorum post excidium Troiæ in patriam revertens naufragium passa est.

V. 88. *a media . . . plebe*, a vulgaribus hominibus; cf. infra II. 351: «Nec quisquam est adeo *media de plebe* maritus, Ut dubius vitio sit pater ille meo».

V. 90. *Icarus, æquoreis nomina fecit aquis*, pars Aegæi maris, ubi Icarus decidit, inter insulas Chium et Coon mare Icarium appellatum est; cf. Hor. Carm. IV. 2, 2: «ceratis ope Dædalea Nititur pennis vitreo daturus Nomina ponto».

V. 91—92. *hinc*, sc. ex hoc loco, ex longinquo. — *remis utaris an aura*, i. e. utrum sit tibi utilius: in media plebe manere an Cæsarem adire. — *Consilium resque locusque dabunt*, ut Ov. Amor. I. 4, 54: «Consilium nobis resque locusque dabunt».

V. 93—94. *vacuo*, sc. Augusto aliis rebus non occupato. — *ira*, sc. Augusti.

V. 97. *Luce bona*, die fausto.

V. 99—100. *qui vulnera fecit, solus Achilleo tollere more potest*, fabulam de Telepho, rege Mysiæ, vulnerato et sanato ab Achille narrat Apollod. Epit. III. 17: *ὁρμήσαντος δὲ Ἀχιλλέως ἐπ' αὐτὸν (sc. Τήλεφον) οὐ μείνας ἐδιώκετο καὶ διωκόμενος ἐμπλακεὶς εἰς ἀμπέλου κλῆμα τὸν μηρὸν τιτρώσκεται δόρατι . . . Τήλεφος δὲ ἐκ τῆς Μυσίας, ἀνίατον τὸ τραῦμα ἔχων, εἰπόντος αὐτῷ τοῦ Ἀπόλλωνος τότε τεύξεσθαι θεραπείας, ὅταν ὁ τρώσας ἰατρὸς γένηται, τρύχεσιν ἠμφιεσμένος εἰς Ἄργος ἀφίκετο καὶ δεηθεὶς Ἀχιλλέως καὶ ὑπεσχημένος τὸν εἰς Τροίαν πλοῦν δεῖξαι θεραπεύεται ἀποξύσαντος Ἀχιλλέως τῆς Πηλιάδος μελίας τὸν ἰόν.*

V. 105—107. *penetrale*, domum. — *scrinia curva*, capsa rotunda voluminibus servandis destinata. — *fratres*, cetera Ovidii opera.

V. 110—111. *detecta . . . fronte*, cf. adn. supra ad vs. 8: «nigra . . . fronte». — *Tres procul obscura latitantes parte*, tres libros Artis Amatoriæ, operis pudendi.

V. 113—114. *satis oris*, audaciæ; cf. Cic. pro Rab. 34: «quod habeat os, quam audaciam! »— *Oedipodas . . . Telegonosque*, qui patres suos necaverunt: Oedipus Laium, Telegonus, Circes filius, Ulixem.

V. 117—118. *mutatæ . . . formæ*, nom. plur., appositio ad *ter quinque volumina*. Intellege quindecim Metamorphoseon libros; cf. Ov. Met. I. 1: «In nova fert animus *mutatas* dicere *formas*». — *Nuper ab exsequiis carmina rapta meis*, quæ non sunt una cum auctore sepulta, sed tamquam de funere eius rapta: de sorte Metamorphoseon cf. infra I. 7, 15: «Hæc (sc. Metamorphoses) ego discedens (sc. in exilium iturus), sicut bene multa meorum, Ipse mea posui mæstus in igne manu . . . quod eram Musas, ut crimina nostra, perosus . . . Quæ, quoniam non sunt sublata, sed exstant, Pluribus exemplis scripta fuisse reor» et ibid. vs. 37: «hæc non sunt edita ab ipso, Sed quasi *de domini funere rapta sui*».

V. 124. *vereor . . . causa fuisse*, nom. cum inf. ad normam Græcæ constructionis.

V. 126. *Sarcina*, idem dicit Horatius de libro suo, quem Augusto tradendum Vinio mandavit Ep. I. 13, 6: «Si te forte meæ gravis uret *sarcina* chartæ».

V. 127—128. *nobis habitabitur orbis Ultimus*, i. e. Tomi, oppidum in ultimis orbis terrarum oris; cf. adn. infra ad I. 2, 85. —

habitabitur, futuro tempore utitur poeta iter terrestre per Thraciam (a Tempyris usque ad Tomos) ingressurus.

Lib. I. eleg. 2.

De tempestate marina.

Tempestas, de qua hoc loco agitur, coorta esse videtur in mari Adriatico; cf. infra I. 11, 3: «hæc me, gelido tremerem cum *mense Decembri,* Scribentem mediis *Hadria* vidit aquis».

V. 2—4. *parcite,* nolite. — *subscribite iræ,* adiuvate iram; *subscriptor* enim appellabatur, qui accusatorem in causa aliqua adiuvabat libellis accusatoriis nomen suum subscribendo. — *deo,* nam Cæsar quoque deus est.

V. 5—7. *Mulciber,* Vulcanus, qui ferrum mulcet. Cf. Fest. Paul. s. v. (p. 125. ed. Thewrewk): «Vulcanus a molliendo scilicet ferro dictus. Mulcere enim mollire sive lenire est». — *Teucris,* Troianis. — *Saturnia,* Iuno, Saturni filia.

V. 9. *cautum . . . Ulixen,* πολύμητιν.

V. 11—12. *distamus ab illis,* i. e. ab heroibus vs. 7. et 9. commemoratis. — *irato deo,* abl. abs. — *deo,* sc. Augusto.

V. 17. *idem venti, ne causa lædar in una,* i. e. venti bis mihi nocent: navem iactando et vota auferendo.

V. 19—22. *Me miserum* etc., cum vss. 19—22. cf. Verg. Aen. III. 564: «Tollimur in cælum curvato gurgite et idem Subducta ad manes imos descendimus unda».

V. 27—30. *purpureo . . . ab ortu,* sc. solis. — *purpureo,* a purpureis equis Auroræ; cf. Verg. Aen. VII. 26: «Aurora in roseis fulgebat lutea bigis» et Tibull. I. 3, 93: «hunc illum nobis Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis». — *sero vespere,* proverbium fuit: «Nescis quid vesper serus vehat». Cf. Varronis verba apud Gell. N. A. XIII. 11, 1. et Verg. Ge. I. 461: «quid serus vesper vehat». — *vespere,* pro occidente. — *sicca . . . arcto,* quia sidus Ursæ numquam occidit, i. e. non mergitur Oceano; cf. Ov. Met. XIII. 293: «immunemque æquoris Arcton» et Hom. Il. XVIII. 487: *Ἄρκτον θ' ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν . . . Οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο.* — *adversa . . . fronte,* i. e. Boreæ adversa.

V. 31. *Rector*, gubernator.

V. 41. *quod non sum mecum conscendere passus*, uxor Ovidii maritum in exilium sequi voluerat; cf. infra I. 3, 81. sqq. — *conscendere*, sc. navem

V. 43—44. *ut*, concessivum. — *Dimidia certe parte superstes ero*, cf. Hor. Carm. I. 3, 8. (de Vergilio, amico suo): «Et serves animæ dimidium meæ» et II. 17, 5. (de Mæcenate): «te meæ si partem animæ rapit Maturior vis, quid moror altera, Nec carus æque nec superstes Integer?»

V. 46. *ab ætherio . . . axe*, axis cæli pro cælo toto; cf. Ov. Fast. III. 368: «Et gravis ætherio venit ab axe fragor».

V. 48. *grave balistæ . . . onus*, i. e. lapides ope balistæ iacti.

V. 50. *Posterior nono est undecimoque prior*, cf. Paul. Fest. s. v. *decumana ova* (p. 50. ed. Thewrewk): «Decumana ova dicuntur et *decumani fluctus*, quia sunt magna. Nam et ovum decimum maius nascitur et fluctus decimus fieri maximus dicitur»; Ov. Met. XI. 529: «Sic ubi pulsarunt noviens latera ardua fluctus, Vastius insurgens decimæ rapit impetus undæ» et Senec. Agam. 502: «fluctus hanc (navem) decimus tegit».

V. 59. *viridesque dei*, i. e. marini, a colore undarum; sæpius appellantur *cærulei*.

V. 61—62. *dedit vitam mitissima Cæsaris ira*, cf. adn. supra ad I. 1, 20. — *in loca iussa*, in locum relegationis, Tomos.

V. 67—68. *Est illi nostri non invidiosa cruoris Copia*, vitæ necisque potestatem, quam Cæsar in me habet, nemo ei eripere vult, i. e. hæc eius potestas sine ulla controversia est. — *quodque dedit, cum volet, ipse feret*, auferet, adimet; cf. Hor. Ep. I. 16, 33: «Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet».

V. 72. *Quod periit*, cf. adn. supra ad I. 1, 27.

V. 73. *ventisque ferentibus utar*, eadem verba in fine hexametri Ov. Amor. III. 11, 51. — *ferentibus*, secundis; cf. Hom. Od. III. 299: *ἀτὰρ τὰς πέντε νέας κυανοπρωρείους Αἰγύπτῳ ἐπέλασσε φέρων ἄνεμός τε καὶ ὕδωρ.*

V. 76. *mutandis mercibus*, dativus finalis. — *æquor aro*, ut Verg. Aen. III. 495: «nullum maris æquor arandum».

V. 79—80. *Non*, supple: ideo æquor aro. — *Alexandri . . . urbem*, Alexandriam in Aegypto. — *Delicias videam, Nile iocose,*

tuas, erant enim Aegyptii luxuria et morum licentia infames, præsertim incolæ Canopi, oppidi haud procul ab Alexandria ad Nilum siti; cf. Strab. XVII. 1. 17. (p. 801.): *ἐσχάτη ἀκολασία καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν* sc. Canopi; Cass. Dio. L. 27, 2. (de Antonio): *πάντα τὰ πάτρια σεμνολογήματα ἀπορρίψας εἷς τῶν ἀπὸ Κανώβου κυμβαλιστῶν γέγονεν*; Cæs. B. civ. III. 110: «quod Alexandrini populi voluptatibus atque *deliciis* maxime diffluerent».

V. 77—78. *Athenas*, ubi Ovidius iuvenis philosophiam didicisse videtur. — *Oppida . . . Asiæ*, quæ olim una cum Macro, poeta epico, amico suo peragraverat; cf. Ep. ex Pont. II. 10. 21. (ad Macrum): «Te duce magnificas Asiæ perspeximus urbes».

V. 81—82. *Quo faciles opto ventos . . . Sarmatis est tellus*, i. e. ea tellus, quo facilibus ventis opto pervenire, Sarmatis tellus est. — *Quo*, scripsi pro *quod* codicibus tradito, quod hoc loco minus apte positum videtur. — *Sarmatis . . . tellus*, Tomi, quorum incolæ erant Getæ et Sarmatæ; cf. infra IV. 10, 110: «Iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis».

V. 83. *Obligor*, sc. edicto Augusti. — *lævi . . . Ponti*, in Ponto Euxino septentriones versus navigantibus a læva parte siti erant Tomi; cf. infra IV. 10, 97: «Cum maris Euxini positos ad læva Tomitas Quærere me læsi principis ira iubet».

V. 85—86. *Nescio quo . . . in orbe*, in parte orbis. — *Tomitas*, Tomi sive Tomis, castellum Romanum in provincia Moesia, haud procul ab ostiis Danuvii, in ea regione, quæ nunc *Dobrudscha* vocatur: postea a Romanis *Constantiana*, a Turcis *Kustendsche*, nunc a Valachis sive Dacoromanis, quorum in regno est, *Constanza* appellata. Sunt ibi nunc balnea marina celeberrima et statua posita est Ovidio. — *Exilem*, brevem.

V. 88. *Pronaque*, propitia.

V. 92. *Ausonios fines cur mea vela volunt*, i. e. venti adversi navem retrudunt Italiam versus; idem poetæ postea in mari Ionio accidisse docemur infra I. 4, 17—20. — *Ausonios*, Italicos.

V. 98. *A culpa facinus scitis abesse mea*, idem dicit sæpissime: cf. infra I. 3, 37: «Cælestique viro, quis me deceperit error, Dicite, pro culpa ne scelus esse putet». III. 1, 51: «In quo pœnarum, quas se meruisse fatetur, Non facinus causam, sed suus error habet»,

III. 6, 25: «Idque ita, si nullum scelus est in pectore nostro Principiumque mei criminis error habet», IV. 1, 24: «Et culpam in facto, non scelus esse meo», IV. 4, 37: «Hanc quoque, qua perii, culpam scelus esse negabis, Si tanti series sit tibi nota mali», IV. 4, 43: «Ergo ut iure damus poenas, sic abfuit omne Peccato facinus consiliumque meo», V. 2, 17: «Et mea, si facinus nullum commisimus, opto, Vulnera qui fecit, facta levare velit», V. 2, 33: «neque enim mea culpa cruenta est», V. 4, 17: «Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram, Conscius in culpa non scelus esse sua», V. 8, 23: «Vel quia peccavi citra scelus utque pudore Non caret, invidia sic mea culpa caret», V. 11, 17: «peccato facinus non affuit illi»: Ep. ex Pont. I. 6, 25: «Quidquid id est, ut non facinus, sic culpa vocanda est», I. 7, 39: «Et tamen, ut cuperem culpam quoque posse negari, Sic facinus nemo nescit abesse mihi», II. 2, 15: «Est mea culpa gravis, sed quæ me perdere solum Ausa sit et nullum maius adorta nefas».

V. 99. *Immo ita*, supple ex vs. 105: «ita parcite divi». — *si me meus abstulit error*, culpam suam, ob quam relegatus est, poeta sæpissime *errorem appellat* se excusando; cf. infra I. 3, 37: «Cælestique viro, quis me deceperit error, Dicite», II. 207: «Perdiderint cum me duo crimina, carmen et error», III. 1, 51: «In quo pœnarum, quas se meruisse fatetur, Non facinus causam, sed suus error habet», III. 5, 51: «Non equidem totam possum defendere culpam, Sed partem nostri criminis error habet», III. 6, 26: «Principiumque mei criminis error habet», III. 11, 33: «Omnia vera puta mea crimina, nil sit in illis, quod magis errorem quam scelus esse putes», IV. 1, 23: «Scit quoque, cum perii, quis me deceperit error», IV. 4, 39: «Aut timor aut error nobis, prius obfuit error», IV. 8, 40: «Nec tamen errori vita negata meo est», IV. 10, 89: «Scite, precor, causam — nec vos mihi fallere fas est — Errorem iussæ, non scelus esse fugæ»; Ep. ex Pont. II. 2, 57: «Num tamen excuses erroris origine factum», II. 2, 63: «Sic igitur, quasi me nullus deceperit error, Verba fac», II. 3, 65: «Ut tamen audita est nostræ tibi cladis origo, Diceris erratis ingemuisse meis», II. 3, 91: «mea crimina primi Erroris venia posse latere vides», III. 3, 75: «Tu licet erroris sub imagine crimen obumbres, Non gravior merito vindicis ira fuit», IV. 8, 19: «Sive velis qui

sint mores inquirere nostros, Errorem misero detrahe, labe carent».

V. 100. *Stultaque mens nobis, non scelerata fuit*, cf. infra I. 5, 41: «Causa mea est melior, quia non contraria fovi Arma, sed hanc merui simplicitate fugam», III. 6, 35: «Stultitiamque meum crimen debere vocari, Nomina si facto reddere vera velis»; Ep. ex Pont. I. 6, 18: «Alloquioque iuva pectora nostra tuo, Quæ, non mendaci si quicquam credis amico, Stulta magis dici quam scelerata decet», I. 7, 43: «Ipse sed hæc vidit, qui pervidet omnia, Cæsar: Stultitiam dici crimina posse mea», II. 2, 17: «Nil nisi non sapiens possum timidusque vocari: Hæc duo sunt animi nomina vera mei», II. 6, 5: «Corripis, ut debes, stulti peccata sodalis».

V. 101—102. *domui*, sc. Augusti. — *Si satis Augusti publica iussa mihi*, corruptum videtur: scribendum pro *satis* fortasse *sancta*, i. e. sanctæ sunt mihi Augusti leges, præsertim si non violavi legem Iuliam de adulteriis. Ovidius enim sæpius dicit se Artem Amatoriam non matronis, sed meretricibus solis scripsisse itaque leges Augusti non violasse, ut e. gr. Trist. II. 243: «Non tamen idcirco *legum* contraria *iussis* Sunt ea» et ibid. vs. 249: «Nil nisi *legitimum* concessaque furta canemus».

V. 103—104. *Hoc duce*, Augusto principe. — *Cæsaribusque*, Tiberius, Augusti privignus et heres; Drusus minor, Tiberii filius; Cæsar Germanicus, filius Drusi maioris, fratris Tiberii, post mortem patris a Tiberio adoptatus.

V. 109—110. *sub condicione*, sc. sub ea condicione, quæ vs. 99—105. continetur. — *fallere quos non est*, cf. supra vs. 97: «Si tamen acta deos nunquam mortalia fallunt».

Lib. I. eleg. 3.

De nocte ultima Romæ peracta.

V. 1. *subit*, supple: mentem vel menti.

V. 5—6. *lux*, dies. — *Ausoniæ*, Italiæ.

V. 7—8. *spatium*, tempus. — *longa . . . mora*, poeta enim iter distulit usque ad ultimum diem sibi concessum: cf. infra vs. 50: «Ultima sed iussæ nox erat illa fugæ».

V. 11. *Iovis ignibus*, fulmine.

V. 16. *Qui modo de multis unus et alter erant*, cf. infra I. 5, 33: «Vix duo tresve mihi de tot superestis amici: Cetera Fortunæ, non mea turba fuit».

V. 17—18. *Uxor*, Ovidii uxor tertia, de qua infra IV. 10, 73: «Ultima, quæ mecum seros permansit in annos, Sustinuit coniunx exulis esse viri». Plura vide infra in Excurs. I. — *per indignas . . . genas*, quæ non erant lacrimis, sed meliore sorte dignæ; cf. Ov. Amor. III. 9, 3: «Flebilis indignos, Elegia, solve capillos».

V. 19. *Nata*, Ovidii filia ex uxore prima aut secunda, de qua infra IV. 10, 75: «Filia me mea bis prima fecunda iuventa, Sed non ex uno coniuge, fecit avum». Maritus eius alter erat Fidus Cornelius senator; cf. Senec. Dial. II. 17, 1: «In senatu flentem vidimus Fidum Cornelium, Nasonis Ovidii generum, cum illum Corbulo struthocamelum depilatum dixisset».

V. 22. *non taciti funeris*, ad gemitus et questus lugentium referendum.

V. 25—26. *Si licet exemplis in parvis grandibus uti*, ut Verg. Ge. IV. 176: «si parva licet componere magnis».

V. 28. *Lunaque nocturnos alta regebat equos*, ut Soli quadrigas, Lunæ bigas tribuunt poetæ; cf. Cir. Pseudoverg. vs. 37: «candida lunæ Sidera, cæruleis orbem pulsantia bigis».

V. 29—30. *ad hanc*, i. e. ad lunam, ad lunæ lumina, Hungarice *holdfénynél*, Germanice *beim Mondschein*; cf. Verg. Aen. IV. 513: «ad lunam» et Ov. Fast. I. 438: «ad lunæ lumina»; eodem modo dicitur: ad solem. — *Capitolia . . . nostro . . . iuncta . . . lari*, erat igitur domus Ovidii Romana haud procul a Capitolio sita.

V. 33. *urbs . . . alta*, in septem collibus sita; cf. infra I. 5, 69: «quæ de septem totum circumspicit orbem Montibus».

V. 35. *clipeum post vulnera sumo*, proverbialis locutio; Græce: *μετὰ πόλεμον μηχανάς*.

V. 37—38. *Cœlestique viro*, Augusto. — *error*, cf. adn. supra ad I. 2, 99. — *pro culpa ne scelus esse putet*, cf. adn. supra ad I. 2, 98. et Cic. pro Marcell. 13: «etsi aliqua *culpa* tenemur erroris humani, *scelere* certe liberati sumus».

V. 40. *deo, Augusto*.

V. 44. *extinctos . . . focos*, quod erat signum luctus; cf. Ov.

Fast. II. 564. (de festo Feralium in honorem mortuorum celebrato): «Ture vacent aræ stentque sine igne foci».

V. 45. *in adversos . . . penates*, iniquos, quia dominum domus non defenderant a calamitate.

V. 47—48. *nox præcipitata*, festinans ad finem; cf. Verg. Aen. II. 8: «iam nox umida cælo Præcipitat». — *Versaque ab axe suo Parrhasis arctos erat*, i. e. sidus Ursæ Maioris se avertit a polo cæli, prope quem fulgere solet, et deorsum vergere coeperat, quod fit post mediam noctem; cf. Ov. Met. X. 447: «Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes». — *ab axe suo*, a polo sibi tamquam proprio, prope quem locus est eius; *axis* pro *polo*, quia polus est in fine axis cæli. — *Parrhasis arctos*, Callisto, filia Lycaonis, regis Arcadiæ, a Iove amata, a Iunone ob zelotypiam in ursam conversa, denique a Iove inter sidera relata nomine Ursæ Maioris. — *Parrhasis*, Arcadia; est enim Parrhasia regio Arcadiæ.

V. 50. *Ultima sed iussæ nox erat illa fugæ*, i. e. dies ultimus ad relinquendam Italiam ab Augusto destinatus.

V. 51—52. *aliquo . . . properante*, ad unum comitum referendum. — *quo*, i. e. Tomos. — *unde*, i. e. ex urbe Roma.

V. 55. *ter sum revocatus*, tamquam malo omine retentus, velut si pedes in limine offendissem; nam pedis offensio in limine malum omen erat. Cf. Ov. Met. X. 452: «Ter pedis offensi signo est revocata» et Tibull. I. 3. 19: «O quotiens ingressus iter mihi tristia dixi Offensum in porta signa dedisse pedem».

V. 59—60. *eadem mandata dedi*, sc. quæ iam ante dederam; cf. Tibull. I. 3, 15: «Ipse ego solator, cum iam mandata dedissem, Quærebam tardas anxius usque moras». — *pignora cara*, hoc loco: uxor et amici; plerumque de liberis dicitur.

V. 61. *Scythia*. Tomi, haud procul a Scythis in litore septentrionali maris Euxini habitantibus.

V. 66. *Thesea . . . fide*, de amicitia Thesei et Pirithoi cogitandum.

V. 68. *in lucro est quæ datur hora mihi*, cf. Hor. Carm. I. 9, 14: «Quem fors dierum cunque dabit, lucro Appone.»

V. 70. *animo proxima quæque meo*, i. e. uxorem et amicos, animo meo proximos.

V. 72. *Stella gravis nobis*, iniqua, quia nocti ultimæ in urbe peractæ finem fecit. — *Lucifer*, stella matutina.

V. 75. *Mettus*, Mettus Fuffetius, dux Albanorum, cuius corpus Tullus Hostilius, rex Romanorum, ob proditionem quadrigis in contrarium actis distrahi iussit. Cf. Liv. I. 27. et Verg. Aen. VIII. 642: «citæ Mettum in diversa quadrigæ Distulerant (at tu dictis, Albane, maneres!) Raptabatque viri mendacis viscera Tullus».

V. 78. *feriunt mæstæ pectora nuda manus*, pectora plangere solebant lugentes; cf. Ov. Met. II. 584: «Plangere nuda meis conabar pectora palmis.»

V. 83. *ultima tellus*, Tomi in ultimis imperii Romani oris.

V. 88. *dedit victas . . . manus*, proprie dicitur de hoste victo, qui manus porrigit ad vinciendum; cf. Cic. Lael. 26, 99: «atque ad extremum det manus vincique se patiatur». — *utilitate*, uxor Ovidii Romæ manere debebat, ut rem familiarem poetæ administraret relegatique causam tueretur; cf. infra vs. 102.

V. 89—90. *sive illud erat sine funere ferri*, i. e. cum pedes poetam ferre non possent, extulerunt eum comites, ut mortuum. — *Squalidus immissis hirta per ora comis*, lugentes capillos barbamque tondere non solebant utebanturque veste squalida: cf. adn. supra ad I. 1, 12: «Hirsutus sparsis ut videare comis».

V. 91. *tenebris . . . obortis*, i. e. oculis tenebræ sunt obortæ; cf. Ov. Met. II. 181: «Suntque oculis tenebræ per tantum lumen obortæ».

V. 95. *desertos . . . penates*, domum.

V. 97. *nataeque*, uxor Ovidii habuit filiam ex matrimonio priore, quæ nupsit P. Suillio Rufo, qui quæstor fuit Cæsaris Germanici a. p. Chr. n. 15.; cf. Ep. ex Pont. IV. 8, 11. (ad Suillium): «Nam tibi quæ coniunx, eadem mihi filia pæne est, Et quæ te generum, me vocat illa virum».

V. 100. *Respectuque . . . mei*, i. e. ut me defenderet et ab Augusto veniam restitutionemque exuli peteret.

V. 101. *sic fata tulerunt*, sollemnis locutio; cf. Verg. Aen. II. 34: «sic fata ferebant».

Lib. I. eleg. 4.

De tempestate in mari Ionio.

V. 1. *Tinguitur Oceano custos Erymanthidos ursæ*, i. e. occidit stella Arcturi (sive Arctophylax sive Bootes), custodis Ursæ Maioris, quæ occidens tempestates secum ferre putabatur; cf. Hor. Carm. III. 1, 27: «sævus Arcturi cadentis Impetus». — *Erymanthidos ursæ*, cf. adn. supra ad I. 3, 48: «Parrhasis arctos». — *Erymanthidos*, Arcadiæ, erat enim Erymanthus mons Arcadiæ.

V. 3. *Ionium . . . findimus æquor*, relicto igitur mari Adriatico (cf. supra adn. ad I. 2.) Ovidius nunc in mari Ionio navigat. — *metu*, sc. Augusti.

V. 8. *pictos . . . deos*, imagines deorum in puppi, quorum tutelæ commendata erat navis. Hæ imagines vocabantur *tutela*.

V. 9. *Pinea texta*, tabulæ navis ex pinu factæ.

V. 11—12. *Navita confessus* etc., cum vss. 11—12. cf. supra I. 2, 31—32. — *Navita*, gubernator.

V. 13—14. *rector*, auriga. — *Cervicis rigidæ*, gen. qualitatis cum *equo* iungendus.

V. 16. *Aurigam . . . ratis*, i. e. gubernatorem; *ratis* scripsi pro *rati*, ut cum *auriga* apte iungatur. — *vela dedisse*, supple *eo* ex præcedente *quo* (vs. 15.); *dare* igitur hoc loco idem significat, quod *dirigere*. Eodem modo dicitur: «vela dare in altum»: cf. Ov. Met. XIII. 398: «Victor ad Hypsipyles patriam . . . Vela dat».

V. 17. *Aeolus*, rector ventorum; cf. Verg. Aen. I. 52: «vasto rex Aeolus antro Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit».

V. 19—20. *Illyriis læva de parte relictis*, nam in mari Ionio meridiem versus navigantibus a læva parte sunt Illyria et Epirus. — *Interdicta mihi cernitur Italia*, cf. adn. supra ad I. 2, 92.

V. 22. *deo*, sc. Augusto.

V. 23—24. *repelli*, sc. in Italiam. — *increpuit*, i. e. cum crepitu quatit; cf. Stat. Theb. III. 431: «Terga comamque deæ Scythica pater increpat hasta».

V. 26. *Iovem*, Augustum, tamquam deum maximum, ut infra I. 5, 78: «me Iovis ira premit».

V. 28. *qui periit*, cf. adn. supra ad I. 1, 27: «ademptum».

Lib. I. eleg. 5.

Ad Celsum.

Scripta esse videtur hæc elegia ad eundem Celsum, ad quem missa est infra V. 9. cuiusque mortem deflet poeta Ep. ex Pont. I. 9. Cf. adn. infra ad vss. 3—4. et 5—6. et 34.

V. 1. *post nullos unquam memorande sodales*, i. e. nulli sodali postponendus; cf. Ep. ex Pont. IV. 13, 1: «O mihi non dubios inter memorande sodales».

V. 3—4. *Attonitum qui me, memini, carissime primus Ausus es alloquio sustinuisse tuo*, agitur de Celso, amico poetae optimo, de quo Ep. ex. Pont. I. 9, 13: «Cum domus ingenti subito mea lapsa ruina Concidit in domini procubuitque caput, Affuit ille mihi, cum me pars magna reliquit . . . Hæsit in amplexu consolatusque iacentem est Cumque meis lacrimis miscuit usque suas».

V. 5—6. *Qui mihi consilium vivendi mite dedisti, Cum foret in misero pectore mortis amor*, Celsus enim prohibuit poetam, ne mortem sibi ipse consisceret: cf. Ep. ex Pont. I. 9, 21. (de Celso): «O quotiens vitæ custos invisus amaræ Continuit promptas in mea fata manus! O quotiens dixit: «Placabilis ira deorum est: Vive, nec ignosci tu tibi posse nega».

V. 7. *positis pro nomine signis*, Ovidius enim amicos, quibus epistulas mittit. in Tristium libris nusquam nominat, ne amicitia relegati iis noceat.

V. 11—12. *Spiritus et vàcuas prius hic tenuandus in auras Ibit et in tepido dèseret ossa rogo*, cf. Lygd. 2, 9: «Ergo cum *tenuem* fuero mutatus in umbram» et Ov. Trist. IV. 10, 86: «Et *gracilis* structos effugit umbra rogos». — *tenuandus*, tamquam dissolvendus.

V. 14. *excidat*, sc. animo. — *die*, tempore.

V. 19. *Thesea Pirithoum*, Theseus comitatus est Pirithoum ad inferos Proserpinæ rapiendæ causa descendentem.

V. 21—22. *Phoceus*, Pylades, filius Strophii, regis Phocidis, qui nusquam deseruit Orestem propter cædem matris a Furiis in insaniam actum. — *furiæ*, furor, insania.

V. 23—24. *Euryalus*, de Niso et Euryalo, fidæ amicitiæ exem-

plis, cf. Verg. Aen. IX. 174, sqq. — *Hyrtacidæ Nisi*, Nisus erat Hyrtaci filius; cf. Verg. Aen. IX. 174: «Nisus . . . Hyrtacides».

V. 27—28. *Dum iuvat etc.*, cum vss. 27—30. cf. infra I. 9, 5—6: «Donec eris sospes, multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila, solus eris». — *Indelibatas*, non imminutas, integras.

V. 31. *exemplis . . . collecta priorum*, ex exemplis priorum intellecta.

V. 34. *Cetera Fortunæ, non mea turba fuit*, idem dicit de Celso Ep. ex Pont. I. 9, 15: «Affuit ille mihi, cum me pars magna reliquit . . . fortunæ nec fuit ipse comes».

V. 35. *rebus succurrite lassis*, i. e. iuvate me in calamitate; cf. infra V. 2, 41: «unde petam lassis solacia rebus» et Ep. ex Pont. II. 3, 93: «Respicis antiquum lassis in rebus amicum». Ubique ex Verg. Aen. III. 145: «quem fessis finem rebus ferat» et XI. 335: «rebus succurrite fessis».

V. 39. *adversis . . . in armis*, in hostibus, qui arma in eum ferebant.

V. 41—42. *non contraria fovi Arma*, non adiuvi hostes Cæsaris; ex Verg. Aen. X. 93: «Aut ego tela dedi fovive Cupidine bella». Cf. adn. infra ad II. 51—52.

V. 49—50. *ratamque . . . fidem*, certam.

V. 53. *Si vox infragilis* etc., imitatur poetas epicos ad maiora se accingentes; cf. Hom. Il. II. 489: *Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν, Φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη* et Verg. Aen. VI. 615: «Non mihi si linguæ centum sint oraque centum, Ferrea vox».

V. 57—58. *Pro duce Neritio*, pro Odyssea; Ulixes Neritius dicitur a Nerito, monte Ithacæ. — *docti mala nostra poetæ Dicite*, ergo Celsus quoque, ad quem Ovidius hæc verba dirigit, poeta fuisse videtur; fuit verisimiliter idem atque Albinovanus Celsus, ad quem Horatius Ep. I. 8. scripsit, cum Celsus ille comes scribaque Tiberii esset in expeditione Armeniaca a. a. Chr. n. 20.: studia poetica eiusdem commemorat Hor. Ep. I. 3, 15. sqq.

V. 60. *Dulichias*, Dulichium insula fuit regno Ulixis subiecta.

V. 61—62. *freta sideribus totis distantia mensos*, maria inter se tantum distantia, ut sub sideribus prorsus aliis sita esse videantur; ex Verg. Aen. V. 627: «Cum *freta*, cum terras omnes, tot

inhospita saxa *Sideraque emensæ* ferimur» Cf. sollennes locutiones: toto cælo aliud, toto cælo errare. — *Detulit in Geticos Cæsaris ira sinus*, proleptice dictum; Ovidius enim hoc tempore nondum pervenit Tomos; cf. infra I. 10, 41.: «Miletida . . . ad urbem, Offensi quo me detulit ira dei» — *in Geticos . . . sinus*, Tomos; cf. adn. supra ad I. 2, 82: «Sarmatis tellus».

V. 64. *Me profugum comites deseruere mei*, quin etiam expilaverunt eum in itinere; unde infra IV. 16, 101: «Quid referam comitumque nefas famulosque nocentes» et Ep. ex Pont. II. 7, 61: «Recta fides comitum poterat mala nostra levare: Ditata est spoliis perfida turba meis».

V. 67—68. *Nec mihi Dulichium domus est Ithaceve Samosve*, ut Ov. Met. XIII. 711: «Et iam Dulichios portus Ithacamque Samonque». — *Dulichium*, cf. supra ad vs. 60. — *Samosve*, vulgo Same, insula Ulixis haud procul ab Ithaca: Samos pro Same iam Hom. Il. II. 634. et Ov. Met. XIII. 711. — *Poena quibus non est grandis abesse locis*, sunt enim insulæ inamoenæ atque steriles.

V. 72. *vires ingenuæque*, i. e. vires minores, quia homines ingenui i. e. in libertate nati non possunt labores ita graves ferre, ut servi.

V. 74. *studiis mollibus*, sc. poeticis.

V. 75—76. *deus*, Augustus. — *Bellatrix . . . diva*, dea bellica, Minerva.

V. 78. *Iovis*, Augusti, ut supra I. 4, 26.

V. 84. *læsi . . . dei*, Augusti, ut infra V. 4, 17: «Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram» et V. 10, 52: «Cæsaris offenso numine».

Lib. I. eleg. 6.

Ad uxorem.

V. 1—2. *Clario . . . poetæ*, Antimacho Colophonio, poetæ epico et elegiaco, qui floruit tempore belli Peloponnesiaci. — *Clario*, Clarus, urbs Asiæ Minoris oraculo Apollinis celeberrima, sita erat non procul a Colophone. — *Lyde*, Antimachi uxor fuisse videtur, cuius in memoriam elegias scripsit poeta; cf. Plutarch. Consol. Apol. p. 106 *B*: *Ἐχρήσατο δὲ τοιαύτῃ ἀγωγῇ καὶ Ἀντίμαχος ὁ*

ποιητής· ἀποθανούσης γὰρ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Λύδης, πρὸς ἣν φιλοστόργως εἶχε, παραμύθιον τῆς λύπης αὐτῷ ἐποίησε τὴν ἐλέγειαν καλουμένην Λύδην, ἐξαριθμησάμενος τὰς ἡρωικὰς συμφοράς, τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τὴν ἑαυτοῦ ποιῶν λύπην. — *Coo*, Philetas, Telephi Coi filius, elegiarum scriptor clarissimus, floruit Ptolemæi I. tempore. — *Bittis amata*, Philetæ uxor fuisse videtur, cuius in honorem poeta elegias scripsit: cf. Hermesianactis fragm. apud Athen. XIII. 70. p. 597 *A*: *Οἶσθα δὲ καὶ τὸν ἀοιδὸν, ὃν Εὐρυπύλου πολῖται, Κῷοι, χάλκειον θῆκαν ὑπὸ πλατάνῳ, Βιττίδα μολπάζοντα θοήν.* Uxorem suam cum Bittide Philetæ comparat Ovidius etiam Ep. ex Pont. III. 1, 57: «Nec te nesciri patitur mea pagina, qua non Inferius Coa Bittide nomen habes».

V. 6. *muneris omne tui est*, ut Hor. Carm. IV. 3, 21: «Totum muneris hoc tui est».

V. 8. *Naufragii tabulas qui petiere mei*, i. e. qui exspoliare voluerunt me relegatum; cf. Ov. Ib. 18: «Naufragii tabulas pugnat habere mei».

V. 13—14. *mea nescio quis, rebus male fidus acerbis, In bona venturus, si paterere, fuit*, verisimiliter idem inimicus innominatus, in quem Trist. III. 11, IV. 9. V. 8., denique *Ibin* scripsit, ubi eum diris devovet. Videtur hic inimicus accusasse Ovidium eo consilio, ut relegatio (cf. adn. infra ad I. 7, 8.) eius in exilium mutaretur atque ipse partem bonorum publicandorum acciperet, delatoris præmium. — *In bona venturus*, bona mea occupaturus.

V. 15. *per fortis . . . amicos*, qui relegato succurrere non timuerunt.

V. 19—20. *Hectoris uxor*, Andromache. — *comes extincto Laodamia viro*, Laodamia marito Protesilao, pui primus Græcorum bello Troiano ceciderat, superstes esse noluit.

V. 21. *Mæonium vatem*, Homerum; cf. adn. suqra ad I. 1, 47: «*Mæoniden*».

V. 24. *Cumque nova . . . luce*, die natali.

V. 25. *Femina seu princeps omnes tibi culta per annos* Marcia, quæ erat uxor Fabii Maximi, consulis a. a. Chr. n. 11., fautoris Ovidii et filia Marcii Philippi et Atiæ, materteræ Augusti. Uxor

Ovidii huius Marciæ cultrix et comes, iam a matre Marciæ electa, fuit. Cf. Ov. Fast. VI. 801. et 809: «Clari monimenta Philippi Aspicis, unde trahit Marcia casta genus . . . Nupta fuit quondam matertera Cæsaris illi»; Ep. ex Pont. I. 2, 139. (de uxore sua): «Hanc probat et primo dilectam semper ab ævo Est inter comites Marcia censa suas. Inque suis habuit matertera Cæsaris ante: Quarum iudicio si qua probata, proba est» et ibid. III. 1, 78. (ad uxorem): «Cuncta licet facias, nisi eris laudabilis uxor, Non poterit credi Marcia culta tibi». Vide infra Excurs. I.

V. 28. *Grandia si parvis adsimulare licet*, cf. supra adn. ad I. 3, 25.

V. 32. *Extinctum longis occidit omne malis*, cf. supra I. 1, 47—48.

Lib. I. eleg. 7.

Ad amicum de sorte Metamorphoseon.

V. 2. *Deme meis hederas . . . comis,* poetarum imagines hedera coronabantur; cf. Pers. prol. 5: «quorum imagines lambunt Hederæ sequaces» et Iuvenal. 7, 29: «Ut dignus venias hederis et imagine macra». — *Bacchica serta*, Baccho sacra; cf. Serv. ad Verg. Buc. 7, 25: «hedera autem coronabantur poetæ vel quasi Libero consecrati, quia et ut Bacchæ insaniunt, vel quod semper virent hederæ».

V. 5—6. *dissimula,* cela, ne amicitia relegati tibi noceat. — *In digito qui me fersque refersque tuo,* qui imaginem meam habes in gemma anuli. — *fersque refersque,* i. e. perpetuo fers; cf. infra V. 7, 14: «Per medias in equis itque reditque vias».

V. 8. *relegati,* poena Ovidii non exilium fuit, sed relegatio, i. e. neque iura civis Romani neque bona amisit, Italiam modo relinquere certoque loco habitare iussus est; cf. infra V. 2, 56: «Nec mihi ius civis nec mihi nomen abest, Nec mea concessa est aliis fortuna nec exsul Edicti verbis nominor ipse tui . . . Arva relegatum iussisti visere Ponti» et V. 11, 15: «nec opes nec ius mihi civis ademit . . . Nil nisi me patriis iussit abesse focis . . . Ipse relegati, non exulis utitur in me Nomine». Cf. Fest. s. v. *relegati* (p. 386. ed. Thewrewk): «Relegati dicuntur proprie, quibus ignominiæ aut poenæ causa necesse est ab urbe Roma aliove quo loco abesse».

V. 11—12. *carmina*, Metamorphoses. — *qualiacumque*, modeste dictum.

V. 13—14. *Carmina mutatas hominum dicentia formas*, cf. Metam. I. 1: «In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora».

V. 15. *sicut bene multa meorum*, cf. infra IV. 10, 61: «Multa quidem scripsi, sed quæ vitiosa putavi, Emendaturis ignibus ipse dedi: Tunc quoque, cum fugerem, quædam placitura cremavi».

V. 17—18. *cremasse suum fertur sub stipite natum Thestias*, Althæa, filia Thestii, regis Aetoliæ, mater Meleagri. De sorte Meleagri cf. Ov. Met. VIII. 451: «*Stipes* erat, quem, cum partus (sc. Meleagrum) enixa iaceret Thestias, in flammam triplices posuere sorores (i. e. Parcæ) Staminaque impresso fatalia pollice nentes: «Tempora — dixerunt — eadem lignoque tibique, o modo nate, damus». Stipitem hunc fatalem Althæa flammis eripuit, sed postea, cum Meleager fratres matris necasset, eundem stipitem in ignem coniecit causaque fuit mortis filio. — *melior matre fuisse soror*, cf. Ov. Met. VIII. 475. (de Althæa): «Incipit esse tamen melior germana parente».

V. 20. *viscera nostra*, tamquam fetum, i. e. opus suum.

V. 21. *ut crimina nostra*, quia carmina (præsertim amatoria) erant maxima eius crimina, quæ iram Augusti in eum verterant.

V. 25—26. *non ignava . . . Otia*, i. e. carmen in otio non ignavo scriptum.

V. 28. *summam . . . abesse manum*, i. e. non esse perpolita.

V. 29—30. *Ablatum mediis opus est incudibus*, non poterat igitur poeta, ut Hor. A. P. 441. suadet: «male tornatos incudi reddere versus». — *ultima lima*, ut Hor. A. P. 291: «limæ labor et mora».

V. 38. *de domini funere rapta sui*, cf. adn. supra ad I. 1, 118. — *domini*, auctoris.

Lib. I. eleg. 8.

Ad amicum, qui relegato non valedixerat, fortasse ad Macrum.

Scripta est hæc elegia fortasse ad Macrum, epicum poetam, ad quem missæ sunt Amor. II. 18. et Ep. ex Pont. II. 10. Cf. infra adn. ad vss. 29, 31, 34.

V. 1—2. *In caput*, in fontem. — *conversis Solque recurret equis*, Soli enim quadrigas tribuunt poetæ. — *recurret*, sc. ad ortum.

V. 5. *præpostera*, contraria.

V. 12. *Afflictumque . . . adire*, visere Ovidium Romæ edicto principis, quo relegatus est, afflictum.

V. 14. *exsequias . . . meas*, i. e. me in exilium euntem; exilium cum funere comparat, ut supra I. 1, 118.

V. 18. *parte*, aliqua ex parte.

V. 22. *vocem populi publicaque ora sequi*, i. e. quod homines tali occasione vulgo dicere solent.

V. 24. *supremo . . . die*, i. e. ultimo die Romæ peracto.

V. 29—30. *nisi convictu causisque valentibus essem Temporis et longi iunctus amore tibi*, referendum videtur ad Macrum, epicum poetam (cf. Amor. II. 18, 1—2. et Ep. ex Pont. II. 10, 13—14.), ad quem postea Ep. ex Pont. II. 10. scripta est, ubi de eo vss. 8. sqq. legimus: «Exciderit tantum ne tibi cura mei, Quem tu vel *longi* debes *convictibus ævi* Vel mea quod coniunx non aliena tibi». — *causisque valentibus*, referendum ad cognationem Macri cum uxore Ovidii.

V. 31. *nisi tot lusus et tot mea seria nosses*, proverbialis locutio de amicitia; idem dicit de Macro Ep. ex Pont. II. 10, 41: «Et modo res egisse simul, modo rursus ab illis, Quorum non pudeat, posse referre iocos».

V. 34. *Ascitus totiens in genus omne loci*, Ovidius enim duce Macro peragraverat Asiam et Siciliam; cf. Ep. ex Pont. II. 10, 21: «Te duce magnificas Asiæ perspeximus urbes, Trinacris est oculis te duce nota meis».

V. 39—40. *Ponti . . . ora sinistri*, cf. adn. supra ad I. 2, 83. — *Scythicæ Sarmaticisque iugis*, Scythæ et Sarmatæ in litore septentrionali maris Euxini, haud procul a Tomis, habitabant.

V. 41—42. *Et tua sunt silicis circum præcordia venæ Et rigidum ferri semina pectus habet*, ex Tibull. I. 1, 63—64: «non tua sunt duro præcordia ferro Vincta nec in tenero stat tibi corde silex». — *silicis . . . venæ . . . ferri semina*, ut Verg. Aen. VI. 6: «semina flammæ Abstrusa in venis silicis». — *ferri semina*, particulas ferri, ut lapis ferrum continens.

V. 43—44. *Quæque tibi tenero quondam ducenda palato Plena*

dedit nutrix ubera, tigris erat, ex Verg. Aen. IV. 366: «duris genuit te cautibus horrens Caucasus Hyrcanæque admorunt ubera tigres». — *tenero,* agitur enim de infante. — *ducenda,* sugenda.

V. 45. *aliena,* sc. tibi.

V. 48. *Ut careant umeris tempora prima tuis,* i. e. ut primo tempore meæ ruinæ umeris tuis non sim fultus; cf. infra V. 13, 8: «Quippe mea est umeris fulta ruina tuis» et Ep. ex Pont. II. 3, 59. (ad Cottam Maximum, patronum suum): «Quæque ita concussa est, ut iam casura putetur, Restat adhuc umeris fulta ruina tuis». — *umeris . . . tuis,* ex mea coniectura; codices habent: *numeris suis,* quod explicari nequit.

V. 49. *Effice, peccati ne sim memor huius,* Ovidius postea re vera in gratiam rediit cum Macro, ut ex Ep. ex Pont. II. 10. (ad Macrum missa) elucet.

Lib. I. eleg. 9.

Ad amicum, oratorem bonum.

V. 1. *Detur inoffenso vitæ tibi tangere metam,* i. e. sine calamitate ad finem vitæ pervenire; cf. infra III. 4, 33: «pede inoffenso spatium decurrere vitæ» et IV. 8, 35—36: «Nec procul a metis, quas pæne tenere videbar, Curriculo gravis est facta ruina meo». Similes comparationes cum certamine curruum in circo apud Varr. Sat. Menip. 288. (ed. Buecheler): «Nemini fortuna currum e carcere intimo missum labi *inoffensum* per æquor candidum ad calcem sivit»; Cic. pro Cæl. 31: «in hoc flexu quasi ætatis hæsit ad metas».

V. 13—14. *Mobile sic sequitur Fortunæ lumina vulgus,* cf. supra I. 5, 33. — *Quæ simul inducta nube teguntur, abit,* cf. supra vs. 6.: «Tempora si fuerint nubila, solus eris».

V. 21—22. *fulmina, quorum Ignibus adflari,* cf. Verg. Aen. II. 648: «me divom pater atque hominum rex Fulminis adflavit ventis et contigit igni».

V. 26. *in adversis,* sc. rebus.

V. 27—28. *De comite Argolici postquam cognovit Orestæ, Narratur Pyladen ipse probasse Thoas.* Pylades enim regi Taurorum, Thoanti se Orestem esse dixit, ut pro Oreste ipse immolaretur

Dianæ Tauricæ; cf. Cic. De fin. II. 24, 79: «aut, Pylades cum sis, dices te esse Oresten, ut moriare pro amico?» — *Argolici*, fuit enim Mycenæus ex Argolide.

V. 29. *Actoridæ*, Patroclo, filio Menoetii, nepoti Actoris.

V. 31—32. *ad manes Theseus comes iret amico*, cf. adn. supra ad I. 5. 19: «Thesea Pirithoum». — *Tartareum . . . deum*, Plutonem, cuius uxorem Proserpinam rapere voluerunt Theseus et Pirithous.

V. 33. *Euryali Nisique fide*, cf. adn. supra ad I. 5, 23.

V. 40. *processu . . . tuo*, videtur amicus Ovidii, orator bonus (cf. infra vs. 46. et 57.) magistratum quendam obtinuisse.

V. 46. *Quælibet eloquio fit bona causa tuo*, erat igitur orator præclarus.

V. 48. *dotes*, sc. animi.

V. 49—50. *Hæc mihi non ovium fibræ . . . Linguave servatæ pennave dixit avis*, ex Tibull. I. 8, 3: «nec conscia fibra deorum, Præcinit eventus nec mihi cantus avis». — *ovium fibræ*, unde vaticinabantur haruspices. — *tonitrusve sinistri*, tonitrus a læva parte venientes bona omina erant auguribus; cf. Verg. Aen. II. 693: «Intonuit lævum». — *Linguave . . . pennave . . . avis*, voces et volatus avium, unde augures futura prædicebant. — *servatæ*, observatæ; augures enim dicebantur: servare de cælo.

V. 57—58. *artes, facunde, severæ*, ars oratoria. — *Dissimiles illis sic nocuere mihi*, i. e. ars levis poeseos amatoriæ.

V. 59—60. *scis artibus illis Auctoris mores abstinuisse sui*, cf. infra II. 353: «Crede mihi, distant mores a carmine nostro, Vita verecunda est, Musa iocosa mea. Magnaque pars mendax operum est et ficta meorum: Plus sibi permisit compositore suo». — *artibus illis*, ad Artem Amatoriam referendum.

V. 61. *Scis vetus hoc iuveni lusum mihi carmen*, poeta Artem Amatoriam ediderat circa annum 2. a. Chr. n., relegatus est anno p. Chr. n. 8.

V. 63. *nullo . . . colore*, nulla specie, nulla falsa excusatione.

V. 66. *bene coepisti*, sc. ire.

Lib. I. eleg. 10.

De nave sua.

Scripsit poeta hanc elegiam in insula Samothracia de nave, qua Cenchreis per mare Aegæum ad Samothraciam vectus erat. Hinc navem cum sarcinis Tomos misit, ipse autem nave altera traiecturus erat fretum inter insulam et Tempyra, oppidum Thraciæ, interiectum, ut per Thraciam et Moesiam terrestri itinere Tomos peteret.

V. 1—2. *Est mihi sitque*, ut Ov. Fast. VI. 219: «Est mihi sitque precor nostris diuturnior annis Filia» et Her. I. 111: «Est tibi sitque precor gnatus». — *flavæ tutela Minervæ*, quæ est in tutela Minervæ; de tutela navis cf. adn. supra ad I. 4, 8. — *flavæ . . . Minervæ*, flavos crines Minervæ tribuit Ovidius etiam Amor. I. 1, 7. et Fast. VI. 652. — *a picta casside nomen habet*, insigne (παράσημον) navis erat simulacrum cassidis in prora, unde nomen accepit. Cassis convenit deæ bellicæ, Minervæ, cuius in tutela navis erat.

V. 3. *Sive opus est velis* etc., cum vss. 3—6. cf. Catull. 4, 3—5. (ad navem suam): «Neque ullius natantis impetum trabis Nequisse præterire, sive palmulis Opus foret volare sive linteo».

V. 9. *Corinthiacis . . . Cenchreis*, Cenchreæ erant portus Corinthi in litore orientali Isthmi, in sinu Saronico, ubi Ovidius hanc (secundam) navem conscendit.

V. 12. *Palladio numine*, erat enim tutela eius Minerva; cf. adn. supra ad vs. 1.

V. 13—14. *ostia Ponti*, sc. Euxini, Bosporum. — *Getici litoris*, ad Moesiam, ubi erant Tomi, referendum; Getæ enim Moesiam incolebant; cf. adn. supra ad I. 2, 82.

V. 15—16. *Aeoliæ . . . Helles*. Helle erat filia Athamantis, regis Orchomeni, et neptis Aeoli, regis Thessaliæ. — *mare . . . in Helles*, recte: non *in*, sed *ad* Hellespontum. — *tenui limite*, navis enim sulcum post se relinquit in aqua; cf. Ov. Her. 18, 133: «Iam patet attritus solitarum limes aquarum Non aliter, multa quam via pressa rota».

V. 17—18. *ab Hectoris urbe*, Ilium. — *Imbria terra*, Imbrus, insula non procul a litore occidentali Chersonesi Thraciæ.

V. 19—20. *Zerynthia litora*, Zerynthus erat urbs insulæ Samothraciæ luco et antro Hecates clara. — *Threiciam . . . Samon*, insulam Samothraciam; cf. Verg. Aen. VII. 208: «Threiciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur».

V. 21—22. *Saltus . . . brevis est Tempyra petenti*, a Samothracia non procul est litus Thracium, ubi erat oppidum, Tempyra, adversus Samothraciam situm. — *contra*, sc. in litore contrario. — *Hac . . . tenus*, sc. usque ad Samothraciam. — *illa*, sc. navis.

V. 23—24. *Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos*, poeta longa navigatione fessus et tempestates Ponti Euxini timens constituit per Thraciam terrestri itinere Tomos petere. — *Bistonios*, Thracios; Bistones enim erant gens Thraciæ. — *Hellespontiacas illa relegit aquas*, navis revecta est ad Hellespontum, ut per hoc fretum Pontum Euxinum peteret.

V. 25—26. *Dardaniamque*, Dardania sive Dardanus, urbs in litore Asiatico Hellesponti. — *auctoris nomen habentem*, urbs a rege Dardano condita esse ferebatur. — *ruricola, Lampsace, tuta deo*, Lampsaci, in urbe in litore Asiatico Hellesponti sita, præcipue colebatur deus Priapus, hortorum agrorumque custos.

V. 27—28. *Quodque . . . fretum*, Hellespontus. — *vectæ male virginis*, Helles, quæ ariete aurei velleris vecta hoc loco in undas decidit. — *Seston*, Sestos, urbs in Chersoneso Thracia, in litore Europaeo Hellesponti. — *Abydena . . . urbe*, Abydus in litore Asiatico Hellesponti adversus Sestum.

V. 29—30. *hærentem Cyzicon*, Cyzicus, urbs in litore Asiatico Propontidis, in pæninsula angusta (unde: *hærentem*) sita. — *Hæmoniæ nobile gentis opus*, conditor urbis erat Cyzicus, filius Aenei Thessalici. — *Hæmoniæ*, Thessalicæ.

V. 31—32. *Ponti . . . fauces*, Bosporus Thracius. — *Byzantia litora*, Byzantium, urbs in introitu Bospori sita. — *gemini ianua vasta maris*, Bosporus est ianua Propontidis et Ponti Euxini.

V. 33—34. *evincat*, de navigatione periculosa, ut Ov. Metam. XIV. 75: «avidamque Charybdin Evicere rates». — *propulsaque fortibus austris*, austro enim opus erat navibus Pontum Euxinum per Bosporum petentibus. — *instabilis . . . Cyaneas*, *Κυανέαι πέτραι* sive Symplegades, duæ insulæ saxosæ Ponti Euxini in ore Bospori; *instabilis*, quia dicebantur olim inter se concucurrisse

atque ita naves transeuntes contudisse; cf. Plin. N. H. IV. 92: «Cyaneæ ab aliis Symplegades appellatæ traditæque fabulis inter se concucurrisse».

V. 35—36. *Thyniacosque sinus*, Thynias erat promunturium in litore Thracio Ponti Euxini. — *Apollinis urbem*, Apollonia, urbs Thraciæ haud procul a Thyniade (septentriones versus) sita. — *Anchialus*, urbs haud procul ab Apollonia (septentriones versus) sita.

V. 37—38. *Mesembriacos portus*, Mesembria, nunc *Missuri*, urbs in litore occidentali Ponti Euxini. — *Odesson*, Odessus urbs, nunc *Varna* in Bulgaria. — *arces . . . dictas nomine, Bacche, tuo*, *Διονύσου πόλις* (prius *Κρουνοί*), nunc *Baltschik* in Bulgaria.

V. 39—40. *Alcathoi . . . e moenibus ortos*, *Alcathous*, filius Pelopis, condidit Megaram; Megarenses condiderunt *Mesembriam* supra vs. 37. commemoratam; colonia autem Mesembriacorum erat *Bizone*, urbs Moesiæ inter *Διονύσου πόλιν* et Tomos sita, de qua hoc loco agitur.

V. 41—42. *Miletida . . . ad urbem*, Tomos, in coloniam Milesiorum; cf. infra III. 9, 3. (de Tomis): «Huc quoque Mileto missi venere coloni Inque Getis Graias constituere domos» et adn. supra ad I. 2, 85. — *quo me detulit ira dei*, proleptice dictum: cf. adn. supra ad I. 5, 62. — *Offensi . . . dei*, Augusti a me læsi, ut supra I. 5, 84.

V. 43—44. *cadet agna Minervæ*, de hostia, ut Verg. Aen. I. 334: «Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra». — *Minervæ*, tutelæ navis; cf. supra vs. 1. — *Non facit*, non convenit.

V. 45—46. *Tyndaridæ . . . fratres*, Castor et Pollux, filii Tyndarei, qui erant nautarum patroni. — *quos hæc colit insula*, qui in insula Samothracia præcipue colebantur. — *duplici . . . viæ*, secunda enim Ovidii navis, de qua hoc carmen scripsit, Tomos petit, poeta autem ipse nave tertia ex Samothracia in Thraciam traicere parat.

V. 47—48. *Symplegadas*, cf. adn. supra ad vs. 34: «instabilis Cyaneas». — *Bistonias . . . aquas*, fretum inter insulam Samothraciam et litus Thraciæ situm. — *Bistonios*, Thracias: cf. adn. supra ad vs. 23: «Bistonios».

V. 49—50. *ventos . . . suos*, secundos.

Lib. I. eleg. 11.

Epilogus libri primi.

Scripsit hanc elegiam poeta, cum ex insula Samothracia in Thraciam (ad oppidum Tempyra) navigaret.

V. 3—4. *gelido tremerem cum mense Decembri,* cf. supra præfat. ad I. 1. — *Hadria vidit,* cf. supra præfat. ad. I. 2.

V. 5—6. *bimarem cursu superavimus Isthmon,* cf. supra præfat. ad I. 1. Eodem itinere voluit Propertius Athenas petere; cf. Propert. III. 21, 19: «Deinde per Ionium vectus cum fessa Lechaeo Sedarit placida vela phaselus aqua, Quod superest, sufferre, pedes, properate laborem, Isthmos qua terris arcet utrumque mare». — *bimarem . . . Isthmon,* Isthmos separat sinum Corinthium et mare Aegæum; cf. Hor. Carm. I. 7, 2: «bimarisve Corinthi Moenia». — *Alteraque . . . carina,* navis, de qua poeta elegiam præcedentem (I. 10.) scripsit.

V. 8. *Cycladas Aegæas,* navigabat enim poeta Cenchreis usque ad Samothraciam inter insulas Aegæi maris.

V. 13—14. *nimbosis . . . ab Hædis,* cuius sideris ortus tempestates secum ferre putabatur; cf. Hor. Carm. III. 1, 27: «sævus Arcturi cadentis Impetus aut orientis Hædi». — *Steropes sidere,* Pleiadum sive Vergiliarum sidere; Sterope enim erat una Pleiadum.

V. 15—16. *custos Erymanthidos ursæ,* cf. adn. supra ad I. 4, 1. — *Hyadas seris hauserat auster aquis,* i. e. Auster seras pluvias concitans tamquam exhauserat, evacuaverat Hyades, aquarum fontes; de sidere Hyadum cf. Hor. Carm. I. 3, 14: «nec tristes Hyadas nec rabiem Noti» et Gell. N. A. XIII. 9, 4: «et cum oriuntur et cum occidunt, pluvias largosque imbres cient». — *seris . . . aquis,* pluviis Decembribus (cf. supra vs. 3.); est enim December sera pars anni. Eodem sensu Græce ὀψὲ et ὀψιμός.

V. 17—18. *intus erat,* sc. in nave. — *Carmina ducebam,* cf. adn. supra ad I. 1, 39: «deducta».

V. 21—22. *gubernator . . . Exposcit votis* etc., cf. supra I. 2, 31. et I. 4, 11.

V. 24. *timensque precor,* sc. deos.

V. 25—26. *Attigero portum,* sc. portum Tempyrorum in litore

Thracio. — *Plus habet infesta terra timoris aqua*. Thraciam enim hoc tempore efferæ gentes incolebant eratque iter per has regiones periculosum.

V. 27—28. *hominum . . . ensis*, ad latrones Thracios referendum; cf. supra adn. ad I. 1, 43—44.

V. 30. *titulum nostræ mortis*, cf. adn. supra ad I. 1, 53.

V. 31. *Barbara pars læva est*, i. e. litus Thracium Ovidio Tempyra versus e Samothracia naviganti a læva parte situm.

V. 34. *Pectora*, animi Thracum.

V. 35. *candide lector*, benevole, ut infra IV. 10, 132.

V. 37—38. *in nostris . . . hortis*, Ovidius hortos habebat non procul a Campo Martio in *Colle Hortorum* iuxta viam Clodiam, quæ iuncta erat viæ Flaminiæ; cf. Ep. ex Pont. I. 8, 43—44: «Nec quos piniferis positos in collibus hortos Spectat Flaminiæ Clodia iuncta viæ». — *lectule*, lectus lucubratorius, in quo iacentes scribere solebant antiqui.

V. 39—40. *brumali luce*, hiberno die. — *profundo*, in alto mari. — *charta*, in qua scribit poeta.

V. 41—42. *hiems*, tempestas. — *incutiente*, in me iaciente; dicitur enim: hastas, tela, faces incutere, i. e. iacere, iaculari.

V. 44. *modum statuam*, finem faciam.

AD LIBRUM SECUNDUM.

Apologia poetæ ad Augustum.

Liber Tristium secundus scriptus Romamque missus est a. p. Chr. n. 9.

V. 1—2. *cura,* labor. — *Ingenio perii . . . meo,* cf. adn. supra ad I. 1, 56.

V. 3. *modo damnatas,* sc. ab Augusto. — *mea crimina, Musas,* cf. adn. supra ad I. 7, 21.

V. 8. *ab Arte,* sc. ab Arte Amatoria.

V. 10. *Acceptum refero,* debeo.

V. 11. *vigilatorumque laborum,* operum vigiliis perfectorum.

V. 13. *doctas . . . sorores,* Musas, ut Catal. Pseudoverg. 9, 2 «doctæ Pegasides».

V. 15—16. *meo . . . morbo,* morbida cupido carmina scribendi. — *Saxa malum refero rursus ad ista pedem,* cf. Cic. Ad fam. X. 20, 2: «culpa enim illa «bis ad eundem» (sc. lapidem) vulgari reprehensa proverbio est: *δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν προσκρούειν λίθον.*»

V. 19. *Teuthrantia regna tenenti,* Telepho, regi Mysiæ; cf. adn. supra ad I. 1, 99—100. — *Teuthrantia regna,* Mysia, ubi olim rex erat Teuthras; cf. Hygin. Fab. 99. et 100.

V. 23—24. *Ausonias,* Italicas, Romanas. — *Carmina turrigeræ dicere iussit Opi,* Rheæ sive Cybelæ, deæ Phrygiæ, quæ turritam coronam gerebat urbium patrona. Templum eius a. p. Chr. n. 3. incendio consumptum restituit Augustus, ut in Monumento Ancyrano (4, 8.) legitur.

V. 25—26. *ludos Fecit,* ludos sæculares a. a. Chr. n. 17., in quos Horatius scripsit carmen sæculare; cf. Monum. Ancyr. 4, 36: «pro conlegio XV. virorum magister conlega M. Agrippa ludos

sæculares . . . feci». — *quos ætas aspicit una semel*, cf. oraculum Sibyllinum apud Zosim. II. 6: Ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἴκῃ χρόνος ἀνθρώποισι Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύσας, Μεμνῆσθαι, Ῥωμαῖε . . . θεοῖσι μὲν ἀθανάτοισι Ῥέζειν ἐν πεδίῳ παρὰ Θύβριδος ἄπλετον ὕδωρ.

V. 36. *aquis*, nubibus.

V. 39—40. *patriæ . . . paterque*. Augustus a senatu pater patriæ appellatus est a. a. Chr. n. 2. — *dei nomen habentis idem*. Iuppiter, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

V. 45—46. *honoribus auctos Vidi, qui tulerant in caput arma tuum*, qualis fuit Messalla Corvinus, Ovidii fautor, qui olim in bello Philippensi contra Octavianum pugnaverat.

V. 48: *Parsque simul templis utraque dona tulit*, i. e. victores et victi inter se in gratiam redeuntes una sacrificarunt diis.

V. 51—52. *Causa mea est melior* etc., cf. supra I. 5, 41: «Causa mea est melior, quia non contraria fovi Arma» et infra V. 2. 33: «neque enim mea culpa cruenta est».

V. 53. *tertia numina*, Pluto; nam Iuppiter, Neptunus et Pluto sortitione regnum mundi in tres partes (cælum cum terra, mare, orcum) diviserunt; cf. Ov. Fast. IV. 534. (de Proserpina): «Nupta Iovis fratri tertia regna tenet» et Metam. V. 368. (de Plutone): «Cui triplicis cessit fortuna novissima regni».

V. 57. *peteres cœlestia sidera tarde*, cf. Hor. Carm. I. 2, 45. (ad Augustum): «Serus in cælum redeas diuque Lætus intersis populo Quirini».

V. 61. *crimina nostra*, carmina amatoria.

V. 63—64. *maius opus*, Metamorphoses. — *quod adhuc sine fine tenetur*, cf. supra I. 7. 13. sqq. — *In non credendos . . . modos*, incredibilem in modum. — *corpora versa*, mutata.

V. 65. *Invenies vestri præconia nominis*, cf. laudes Iulii Cæsaris et Augusti Metam. XV. 857. sqq.

V. 67. *quo*, adverbium.

V. 69. *superest*, abunde est.

V. 71. *Gigantei . . . belli*, victoria Iovis de Gigantibus reportata: cf. Hor. Carm. III. 1, 6: «Iovis Clari Giganteo triumpho».

V. 73. *quanto decet ore*, i. e. poetæ epici, qui magnum os (magni-

ficum dicendi genus) habent; cf. Hor. Sat. I. 4, 43: «Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os Magna sonaturum».

V. 75—76. *ut fuso taurorum sanguine centum, Sic capitur minimo turis honore deus,* cf. Paneg. in Mess. vs. 14: «Parvaque cælestes placavit mica, nec illis Semper inaurato taurus cadit hostia cornu».

V. 78. *Delicias . . . meas,* carmina amatoria, præcipue Artem Amatoriam.

V. 80. *Indicio . . . candidiore,* indice (monstratore) benevolentiore.

V. 82. *tunc,* i. e. tempore relegationis.

V. 83—84. *Cum coepit quassata domus subsidere,* vss. 83—86. ruinam fortunæ suæ comparat cum ruina domus, ut supra I. 9, 17—20. et infra III. 5, 5—6. Cf. Ep. ex Pont. I. 9, 13: «Cum domus ingenti subito mea lapsa ruina Concidit in domini procubuitque caput» et III. 2, 11: «Cumque dedit paries venturæ signa ruinæ».

V. 85—86. *Cunctaque,* corruptum videtur; scribendum verisimiliter: *Cuncta ita,* comparatur enim ruina fortunæ cum ruina domus. — *fortuna rimam faciente,* accipiente, ut rimas agere (ducere, accipere) solent parietes domus lapsuræ.

V. 88. *vultus . . . tuos,* i. e. vultum tuum iratum.

V. 89—90. *vitamque meam moresque probabas Illo, quam dederas, prætereuntis equo,* i. e. Augustus censorio munere fungens Ovidium, equitem Romanum, non affecit nota censoria et, cum equitum turmas recognosceret, in sollemni equitum transvectione ei equum publicum non ademit, equestri ordine eum non movit. — *probabas,* ergo: non improbabas. *Improbari* autem dicebuntur, qui in hac recognitione equitum a censore notabantur; cf. Suet. Octav. 39. (de Octaviano censuram agente): «unumquemque equitum rationem vitæ reddere coegit atque ex *improbatis* alios poena, alios ignominia notavit. — *prætereuntis,* agitur de sollemni equitum transvectione coram censore; cf. Suet. Octav. 38: «equitum turmas frequenter recognovit (Octavianus) post longam intercapedinem reducto more travectionis».

V. 91—92. *Quod si* etc., vss. inepti 91—92. spurii esse videntur.

V. 93—94. *vobis,* sc. iudicibus quæstionum perpetuarum. —

decem deciens . . . viris, Ovidius iudex fuit iudicii centumviralis; cf. Ep. ex Pont. III. 5, 23—24: «Utque fui solitus, sedissem forsitan unus De centum iudex in tua verba viris».

V. 95. *Res quoque privatas*, i. e. allectus fuit inter iudices, quos prætores in causis privatis dabant.

V. 97. *extrema*, i. e. extrema mea facta.

V. 103—104. *Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?* Ovidius fortuito testis fuit culpæ alicuius; cf. infra III. 5, 49: «Inscia quod crimen viderunt lumina, plector, Peccatumque oculos est habuisse meum» et III. 6, 27: «Nec breve nec tutum, quo sint mea, dicere, casu Lumina funesti conscia facta mali». — *lumina*, oculos. — *imprudenti*, fortuito, non de industria, inscio.

V. 105. *Actæon*, qui in silvis venans casu vidit Dianam nudam in fonte se lavantem, quare dea irata eum in cervum convertit, ut a canibus propriis dilaceraretur.

V. 107—108. *in superis*, si culpa in superos committitur. — *fortuna*, casus fortuitus. — *numine*, ut Augusto.

V. 111—112. *quæ*, ex mea coniectura; codices: *quoque*, quod hoc loco inepte ponitur. — *patrio dicatur ut arvo Clara*, i. e. in patria, Sulmone, clara habeatur; gens enim Ovidia clarissimis gentibus Sulmonensibus adnumerabatur. — *nec ullius nobilitate minor*, erant enim Ovidii equites illustres; cf. infra adn. ad IV. 10, 7—8.

V. 113. *neque divitiis nec paupertate notanda*, erant enim equites interiecti inter nobiles prædivites et plebeios pauperes, ut Tibull. I. 1, 78: «Despiciam dites despiciamque famem».

V. 114—115. *Unde sit* etc., vss. inepti 114—115. spurii esse videntur.

V. 117—118. *iuvenaliter*, leviter; referendum ad carmina amatoria levioris argumenti. — *fero*, accipio.

V. 124. *Ematuruerit*, mollior erit.

V. 127. *Vita data est*, cf. adn. supra ad 1. 1, 20.

V. 129—130. *paternæ . . . opes*, cf. adn. ad I. 7, 8.

V. 131—132. *Nec mea decreto damnasti facta senatus*, quod fecit Augustus, cum nepotem suum, Agrippam Postumum, in exilium mitteret; cf. Suet. Aug. 65: «Agrippam . . . in insulam transportavit sæpsitque insuper custodia militum; cavit etiam

senatusconsulto, ut eodem loci in perpetuum contineretur». Cf. infra Excurs. II. — *Nec mea selecto iudice iussa fuga est*, i. e. causam Ovidii non commisit indicibus lectis quæstionum perpetuarum, quod si fecisset, multo maior fuisset poena poetæ.

V. 135. *edictum*, Ovidius relegatus est edicto principis; cf. Fest. s. v. *relegati* (p. 386. ed. Thewrewk): «Relegati dicuntur proprie, quibus ignominiæ aut poenæ causa necesse est ab urbe Roma aliove quo loco ábesse lege senatique consulto aut *edicto magistratus*».

V. 137—138. *relegatus, non exul dicor in illo*, cf. infra V. 2, 57: «nec exul Edicti verbis nominor ipse tui . . . Arva relegatum iussisti visere Ponti» et V. 11, 21: «Ipse relegati, non exulis utitur in me Nomine». — *relegatus*, cf. adn. ad I. 7, 8. — *Privaque fortunæ . . . verba*, i. e. Augustus sortem Ovidii privo nomine significavit; cf. Gell. N. A. XI. 16, 1: «Græci ea dicunt privis vocibus».

V. 142. *dies*, sol.

V. 143. *pampineis oneratam vitibus ulmum*, antiqui ulmos vitibus maritare solebant.

V. 156. *nomen*, populum.

V. 157—158. *te . . . parente*, cf. adn. supra ad vs. 39. — *ut in populo*, cf. adn. ad I. 1, 17.

V. 161. *Livia*, uxor Augusti, mater Tiberii. — *sociales*, coniugales.

V. 165. *natus*, Tiberius, filius Liviæ, privignus Augusti ab eoque adoptatus, heres imperii.

V. 167—168. *tui . . . nepotes*, Drusus minor, Tiberii filius, et Cæsar Germanicus, filius Drusi maioris, fratris Tiberii, a Tiberio adoptatus. — *sidus iuvenale*, ut fratres Castor et Pollux inter sidera relati. — *per . . . facta . . . eant*, i. e. facta imitentur. — *parentis*, Tiberii.

V. 170. *notaque signa*, i. e. signa militaria Augusti.

V. 171—172. *Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis*, est enim dea Victoria alata; cf. Tibull. II. 5, 45: «Ecce super fessas volitat Victoria puppes». — *Ausoniumque ducem*, Augustum principem. — *Ausoniumque*, Italicum, Romanum. — *laurea serta*, decus triumphantis.

V. 173—174. *Per quem bella geris*, Tiberius, qui annis post Chr.

n. 6—9. bellum gessit in Pannonia, Illyria et Dalmatia. — *Auspicium cui das*, omnia bella gerebantur auspiciis imperatoris Augusti, etiamsi ipse non intererat.

V. 175. *tui es*, ex mea coniectura; codices: *tui*, sed copula hoc loco necessaria esse videtur.

V. 178. *Inque coronatis fulgeat altus equis*, i. e. in curru triumphali, quem vehunt equi coronati.

V. 181. *pater patriæ*, cf. adn. supra ad vs. 39.

V. 185. *Mitius exilium . . . propiusque*, ergo reditum in Italiam rogare nondum audet; cf. infra vs. 575. sqq. — *propius*, quod propius sit Italiæ.

V. 189—190. *egressus*, ostia. — *septemplicis Histri*, Histro (Danuvio) septem ostia tribuit, ut Nilo; cf. infra III. 10, 27: «papyrifero qui non angustior amne . . . Hister» et Ep. ex Pont. IV. 10, 57: «inter maximus omnes Cedere Danuvius se tibi, Nile, negat». — *Parrhasiæ gelido virginis axe*, cælo septentrionali, ubi est sidus Ursæ maioris. — *Parrhasiæ . . . virginis*, cf. adn. supra ad I. 3, 48. — *axe*, pro cælo; cf. adn. ad I. 2, 46.

V. 191—192. *Iazyges et Colchi* etc., vss. 191—192. inepte hoc loco positi spurii esse videntur.

V. 196. *adstricto*, rigido.

V. 197—198. *Euxini . . . sinistri*, cf. adn. supra ad I. 2, 83. — *Basternæ*, populus Germanicæ originis in hodierna Podolia, Galitia et Ucraina. — *Sauromatæ*, sive Sarmatæ, litora septentrionalia maris Euxini incolebant.

V. 199. *Ausonio*, Romano.

V. 203. *gentes, quas non bene summovet Hister*, quæ hieme, cum glacies tegit Histrum, flumen traiciunt et regionem Tomorum populantur; cf. infra III. 10, 7. sqq. et 53. sqq.

V. 207—208. *carmen*, sc. Ars Amatoria. — *error*, cf. adn. supra ad I. 2, 99. — *Alterius facti*, de hoc facto cf. infra Excurs. II.

V. 209. *tua vulnera, Cæsar*, cf. Ep. ex Pont. II. 2, 57: «Num tamen excuses erroris origine factum, An nihil expediat tale movere, vide: Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit, Non contrectari tutius esse puto» et infra Excurs. II.

V. 220. *Imparibus . . . modis*, hexametro et pentametro, disticho elegiaco.

V. 221. *Romani nominis*, populi, imperii.

V. 223—224. *Lusibus*, carminibus ludibundis, amatoriis. — *Excutiasque*, inspicias, recognoscas. — *otia nostra*, opera in otio scripta; cf. adn. supra ad I. 7, 25: «non ignava otia».

V. 225—226. *Pannonia . . . Illyris ora*, cf. adn. supra ad vs 173. — *Rætica*, Ræti et Vindelici devicti sunt a. a. Chr. n. 15. a Tiberio et a fratre eius, Druso. — *Thracia*, ubi feræ gentes sæpissime rebellabant; cf. adn. supra ad I. 11, 26.

V. 227—228. *Armenius*, in Armenia bella gesta sunt a. a. Chr. n. 20. et 2. — *porrigit arcus Parthus*, arma tradit, deditionis signum. — *captaque signa*, Parthi signa Romana Crasso triumviro in pugna ad Carrhas (53. a. Chr.) adempta Augusto reddiderunt a. a. Chr. 20.

V. 229—230. *prole tua*, Tiberio. — *Germania*, ubi Tiberius gloriose pugnavit a. p. Chr. 4. et 5. — *Cæsar*, Tiberius ab Augusto adoptatus Ti. Iulii Cæsaris nomen accepit.

V. 231—232. *ut in tanto . . . Corpore pars nulla est, quæ labet, imperii*, cum in nulla parte imperii bella gerenda sunt. — *ut*, cum, ubi. — *Urbs quoque te . . . lassat*, i. e. bellis externis compositis res urbanæ (domesticæ) te fatigant. — *legum tutela tuarum Et morum*, referendum præcipue ad leges Iulias de maritandis ordinibus et de adulteriis; cf. Hor. Ep. II. 2, 1. (ad Augustum): «Cum tot sustineas et tanta negotia solus, Res Italas armis tuteris, moribus ornes, Legibus emendes».

V. 236. *Bellaque cum vitiis . . . geris*, i. e. cum iam externa bella non sunt gerenda, bellum geris domesticum cum vitiis; cf. Hor. Carm. IV. 15, 11—12. (de Augusto): «emovitque culpas Et veteres revocavit artes». — *vitiis*, ex mea coniectura; codices: *multis*, quod hoc loco ineptum est. — *inrequieta*, sine requie, sine intermissione.

V. 241. *frontis . . . severæ*, sedem severitatis in fronte aut in supercilio ponebant antiqui; cf. infra vs. 309: «supercilii matrona severi».

V. 243. *legum contraria iussis*, i. e. contra leges Iulias de adulteriis et de pudicitia.

V. 247—250. *Este procul*, vss. 247—250. laudantur ex Art. Amat. I. 31—34., ubi poeta se hoc carmen non matronis, sed so-

lis meretricibus scripsisse dicit. — *vittæ . . . instita longa*, matronæ in capite vittam gerebant, pro tunica stolam longam, cui in ima parte instita erat adsuta ad pedes tegendos: libertinæ autem et meretrices tunicas gerebant breviores. Cf. Tibull. I. 6, 67: «Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos Impediat crines nec stola longa pedes». — *Nil nisi legitimum concessaque furta canemus*, i. e. amorem in meretrices legibus concessum. Ceterum hoc loco memoria lapsus est poeta, nam Art. amat. I. 33. legitur: «*Nos Venerem tutam* concessaque furta canemus.» *nullum . . . crimen*, adulterium.

V. 252. *stola*, cf. adn. ad vs. 248.

V. 254. *trahat*, ad se referat.

V. 257. *sinistri*, mali.

V. 259—260. *Annales*, sc. Ennii. — *nihil est hirsutius illis*, versus Ennii inculti atque horridi esse videbantur poetis aureæ ætatis; cf. infra vs. 424 et adn. ad h. l. et Propert. IV. 1, 61: «Ennius hirsuta cingat sua dicta corona». — *Ilia*, sive Rhea Silvia, quæ ex Marte Romulum et Remum peperit.

V. 261—262. *Aeneadum genetrix ubi prima*, carmen gravissimum Lucretii *De rerum natura*, cuius initium: «Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas, Alma Venus». — *Aeneadum*, Romanorum, Aeneæ nepotum. — *Aeneadum genetrix unde sit alma Venus*, Venus feminæ mortalis formam induit atque ita concubuit Anchisæ, unde Aenean peperit: cf. Hymn. Homer. in Venerem vs. 167. (de Anchisa): *ὁ δ' ἔπειτα, θεῶν ἰότητι καὶ αἴσῃ Ἀθανάτῃ παρέλεκτο θεᾷ βροτός, οὐ σάφα εἰδώς.*

V. 263—264. *Persequar inferius* etc., vss. inepti 263—264. spurii putantur.

V. 270. *monstrat, quæque sit herba nocens*, qua scientia abuti possunt venefici.

V. 277. *quasdam*, sc. matronas. — *vitio*, corrumpo.

V. 279. *Ut tamen hoc fatear*, concessive dictum: sed etiam si fateor carminibus meis matronas corrumpi posse. — *ludi*, sc. publici, theatrum et circus.

V. 281—282. *dederunt*, sc. ludi. — *Martia . . . harena*, harena pugnis gladiatorum destinata in circo.

V. 284. *Hic sedet ignoto iuncta puella viro*, viri feminæque in

circo promiscue sedebant: contra in theatro feminæ a viris separatæ superiores theatri partes occupabant.

V. 285—286. *in hoc*, in hunc finem, eo consilio. — *porticus*, in porticibus homines elegantiores urbis ambulare et amantes ex composito convenire solebant. Cf. Ov. A. A. I. 67—74.

V. 289. *Iovis æde*, in templo Iovis Capitolini.

V. 291. *Proxima . . . Iunonis templa*, templum Iunonis Monetæ in Capitolio haud procul ab æde Iovis Capitolini.

V. 293—294. *natum de crimine . . . Erichthonium*, Vulcanus olim Minervæ vim afferre voluit, sed, cum luctaretur cum dea, semen eius in terram profluxit, unde sine matre genitus est Erichthonius, rex Athenarum futurus. — *Sustulerit*, Erichthonium Minerva in templo suo educandum curavit.

V. 295—296. *in magni templum, tua munera, Martis*, templum Martis Ultoris ab Augusto a. a. Chr. n. 2. dedicatum. — *Stat Venus Ultori iuncta*, statuæ Veneris et Martis erant igitur in templo vicinæ. — *vir ante fores*, ante fores templi erat statua Vulcani, mariti Veneris.

V. 297. *Isidis*, dea Aegyptia, quem Græci cum Ione sua confundebant. — *cur hanc Saturnia . . . Egerit Ionio Bosphorioque mari*, Ionem ab Iove amatam Iuno in vaccam mutavit et per terras atque maria errare coegit. — *Ionio*, mare Ionium ab Ione nomen accepisse testatur Aeschyl. Prom. vs. 840. — *Bosphorioque*, de erroribus Ionis cf. Aeschyl. Prometh. 729—734. unde Bosporum Cimmerium a transitu Ionis in vaccam mutatæ *(βοὸς πόρος)* nomen accepisse docemur.

V. 299—300. *In Venere Anchises*, cf. adn. supra ad vs. 262. — *in Luna Latmius heros*, Endymion; cf. Cic. Tusc. I. 38, 92: «a Luna consopitus putatur Endymion, ut eum dormientem oscularetur . . . in Latmo obdormivit, qui est mons Cariæ». — *In Cerere Iasion*, sive Iasius Cretensis a Cerere amatus; cf. Hes. Theog. 969: *Δημήτηρ μὲν Πλοῦτον ἐγείνατο, δῖα θεάων, Ἰασίῳ ἥρωϊ μιγεῖσ᾽ ἐρατῇ φιλότητι, Νειῷ ἔνι τριπόλῳ, Κρήτης ἐν πίονι δήμῳ.*

V. 302. *illa*, sc. templa inde a vs. 289. enumerata.

V. 304. *ingenuas . . . manus*, matronas in libertate natas, quibus opponuntur libertinæ et meretrices. — *pagina prima*, Art. Amat. I. vss. 31—34. supra ad vss. 247—250. allati.

V. 305—306. *quo non sinit ire sacerdos*, tamquam in adytum templi profanis vetitum. — *huic*, sc. sacerdoti.

V. 308. *legant*, sc. matronæ.

V. 309—310. *supercilii . . . matrona severi*, cf. adn. supra ad vs. 241: «frontis severæ». — *nudas*, sc. meretrices. — *veneris . . . ad genus omne*, ad omnes coitus figuras. — *stantes*, prostantes in lupanari.

V. 311—312. *Vestales oculi*, virgines Vestales. — *domino*, meretricum domino, lenoni.

V. 315. *Nil nisi*, corruptum videtur; scribendum fortasse: *Iam mihi*.

V. 317. *Cur non Argolicis* etc., cum vss. 317—324., ubi argumenta epica enumerantur, cf. Ov. Amor. III. 12, 15: «Cum Thebe, cum Troia foret cum Cæsaris acta, Ingenium movit sola Corinna meum».

V. 319—320. *vulnera mutua fratrum*, certamen Eteoclis et Polynicis, fratrum, qui se invicem occiderunt. — *septem portas sub duce quamque suo*, septem heroes oppugnabant septem portas Thebarum.

V. 331—332. *et hoc dubitem*, etiam de hac re dubito; cf. Ov. Her. 17, 37: «hoc quoque enim dubito». — *numeris levioribus*, distichis elegiacis. — *in parvos . . . modos*, in parva carmina, elegias.

V. 333. *domitos Iovis igne Gigantas*, Gigantomachia erat argumentum epicum; cf. adn. supra ad vs. 71.

V. 339—340. *iuvenalia*, amatoria. — *falso . . . amore*, ficto; cf. infra vs. 355. et adn. ad hunc locum.

V. 346. *vetitos sollicitare toros*, matronas adulterium docere.

V. 349—350. *delicias*, cf. adn. supra ad vs. 78. — *Strinxerit ut nomen fabula nulla meum*, i. e. mala fama non sequebatur eum; cf. infra IV. 10, 65. sqq.

V. 351. *media de plebe*, inter homines vulgares; cf. supra I. 1, 88.

V. 355. *Magnaque pars mendax operum est et ficta meorum*, verum dicit: nam tribus Amorum libris nihil fere inest, quod poeta ipse expertus sit quodque vitam sapiat verosque arguat animi sensus, sed pæne omnia ficta et a magistris mutuata, inprimis a Propertio, præterea a Tibullo, Lygdamo, Horatio et Catullo.

V. 357. *animi*, sc. auctoris. — *voluptas*, oblectatio lectoris. — *mulcendis*, delectandis. — *ferens*, sc. lectoribus.

V. 359—360. *Accius*, scriptor tragœdiarum inter Romanos clarissimus. — *esset atrox*, i. e. si liber indicium animi auctoris esset, Accius, quia in tragœdiis res atrocissimas tractat, et ipse atrox esset. — *conviva Terentius esset*, parasitus esset Terentius, quia personam parasiti optime expressit in *Phormione* suo. Ceterum in nova Atticorum comœdia, quam Plautus et Terentius imitati sunt, sæpe primarias partes agebat parasitus. — *conviva*, hoc loco convivam inferioris ordinis, i. e. parasitum significat, ut Hor. Sat. I. 10, 80 et Pers. Sat. I. 38.

V. 364. *lyrici Teia Musa senis*, Anacreon, cantor vini et amoris, cuius patria erat Teos, urbs Asiæ adversus Samum insulam sita.

V. 365. *amare puellas*, Sappho enim, poetria Lesbia celeberrima, plerumque ad puellas scripsit carmina sua amatoria.

V. 367—368. *Battiade*, Callimachus Cyrenensis, poeseos Alexandrinæ princeps. Cf. Strab. XVII. p. 837: *λέγεται δὲ ἡ Κυρήνη κτίσμα Βάττου· πρόγονον δὲ τοῦτον ἑαυτοῦ φάσκει Καλλίμαχος.* — *Delicias*, amores.

V. 369—370. *Menandri*, princeps novæ Atticorum comœdiæ, ubi meretrices a iuvenibus amatæ primarias agebant partes. — *pueris virginibusque*, in scholis Menander, exemplum puri sermonis Attici, diligentissimæ legebatur.

V. 371. *adultera*, i. e. carmen de adultera Helena.

V. 373. *illi*, pro *illic*, sc. in Iliade; cf. supra I. 1, 17. — *flamma Briseidos*, amor in Briseidem.

V. 375. *femina*, carmen de femina, Penelope.

V. 377. *Mœonides*, Homerus; cf. adn. supra ad I. 1, 47. —*Venerem Martemque ligatos*, a Vulcano, marito Veneris, laqueis invisibilibus captos atque ita in adulterio deprehensos; cf. Hom. Od. VIII. 266. sqq.

V. 380. *duas . . . deas*, Circe et Calypso Ulixem amantes.

V. 383. *Num quid* etc., vss. 383—406. sequitur enumeratio amorum tragœdiis celebratorum. — *in Hippolyto*, celeberrima Euripidis tragœdia de amore Phædræ, uxoris Thesei, in privignum Hippolytum. — *Canace*, Aeoli filia, amabat fratrem Macareum.

De hac re scripsit Euripides tragœdiam deperditam *Aeolum* et Ovidius Her. XI.

V. 385—386. *Tantalides*, Oenomaus, rex Pisæ, pater Hippodamiæ, procos filiæ ad certamen curruum provocavit et, quos consecutus erat, a tergo transfixit hasta. Sed in hoc certamine devicit eum Pelops, Tantali filius, quia Hippodamia corrupit Myrtilum, aurigam patris, ut clavum ex axe currus eius eximeret. — *agitante Cupidine currus*, Pelops et Hippodamia in imaginibus antiquis conspiciuntur curru vecti supraque eos Amor volans; cf. *Baumeister:* Denkmäler s. v. *Pelops*. — *Pisæam*, Hippodamiam. — *Phrygiis . . . equis*, Tantalus enim, Pelopis pater, erat rex Phrygiæ; cf. Propert. I. 2, 79: «Nec Phrygium traxit falso candore maritum Avecta externis Hippodamia rotis». — *vexit*, avexit secum in patriam. — *eburnus*, Tantalus, ut deos experiretur, filium suum Pelopem in frusta sectum iis comedendum apposuit; dii scelere cognito et frustis compositis Pelopem resuscitaverunt, sed loco humeri sinistri ebur ponere coacti sunt, quia Ceres raptu Proserpinæ afflicta hanc partem iam comederat.

V. 387. *mater*, Medea, de qua exstat celeberrima Euripidis tragœdia. Ovidius quoque scripsit tragœdiam *Medeam*, quæ ad nostram ætatem non pervenit.

V. 389—390. *Fecit amor subitas volucres* etc., Tereus, rex Thraciæ, uxorem duxit Prognen et postea vi compressit sororem eius Philomelam. Tum Progne et Philomela, ut iniuriam ulciscerentur, parvum Ityn, filium Terei et Prognes, necaverunt epulandumque apposuerunt patri, qui re cognita stricto gladio feminas crudeles persecutus est. Omnes denique in aves sunt mutati: ex Tereo epops, ex Progne hirundo, ex Philomela luscinia facta est. Fabulam narrat Ov. Met. VI. 421. sqq. — *nunc quoque luget*, de querula hirundinis voce cogitandum; cf. Hor. Carm. IV. 12, 5. (de hirundine): «Nidum ponit Ityn flebiliter gemens Infelix avis».

V. 391. *Aeropen*, Aerope uxor fuit Atrei, quam Thyestes, Atrei frater, amavit. Atreus, ut adulterium ulcisceretur, filios Thyestis necavit membraque eorum patri epulanda apposuit, quo viso Sol retro egit currum et in tenebris terram reliquit.

V. 393. *nec tragicos tetigisset Scylla cothurnos*, i. e. de Scylla non

scripsissent tragœdias poetæ. — *Scylla*, filia Nisi, regis Megaren
sis; cf. Apollod. III. 210: *(Μίνως) Μέγαρα εἷλε Νίσου βασι*
λεύοντος τοῦ Πανδίονος . . . ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ Νῖσος διὰ θυ
γατρὸς προδοσίαν. Ἔχοντι γὰρ αὐτῷ πορφυρέαν ἐν μέσῃ τ
κεφαλῇ τρίχα ταύτης ἀφαιρεθείσης ἦν χρησμὸς τελευτῆσαι. Ἡ
δὲ θυγάτηρ αὐτοῦ Σκύλλα ἐρασθεῖσα Μίνωος ἐξεῖλε τὴν τρίχα
Fabulam narrat Ciris, epyllion Pseudovergilianum, et Ov. Met
VIII. 1—151.

V. 395. *Electram . . . Orestem*, de Electra et Oreste patris mor
tem in matre Clytemnestra ulciscentibus scripserunt Aeschylu
(Choephoros), Sophocles *(Electram)* et Euripides *(Electram)*. —
egentem mentis Orestem, ob cædem matris a Furiis in dementian
actum. — *Aegisthi*, adulter Clytemnestræ. — *Tyndaridos*, Cly
temnestra, Tyndarei filia.

V. 397. *tetrico . . . domitore Chimæræ*, Bellerophon, quem Proe
tus, rex Tirynthius, benigne hospitio exceperat, repudiavi
amorem Stheneboeæ uxoris Proeti, quare mulier irata eum ad
ulterii accusavit. — *domitore Chimæræ*, Bellerophon ope Pegasi
equi alati, devicit Chimæram, monstrum ignem vomens.

V. 399—400. *Hermionen*, de Hermione, filia Helenæ, sponsa
Orestis, a Pyrrho, Achillis filio, rapta tragœdias scripserunt
Sophocles et Pacuvius. De eadem fabula Ov. Her. VIII. — *Schoe-*
neia virgo, Atalante, Schœnei filia, celeritate pedum clarissima
quæ procos suos ad certamen cursus provocabat nulli nisi victor
nuptura. Sed decepit eam Hippomenes, unus ex procis, qui a
Venere poma aurea acceperat ex horto Hesperidum eaque in me-
dio currus certamine puellæ obiecit eam retenturus. — *Mycenæa*
Phœbas amata duci, eadem verba Ov. Amor. II. 8, 12. — *Phœ-*
bas, Cassandra, Priami filia, vates et sacerdos Phœbi, quam capti-
vam Agamemnon Troia rediens secum vexit Mycenas, ubi et
ipse et puella ab Aegistho et Clytemnestra necati sunt. De hac
fabula scripsit tragœdiam *Agamemnonem* Aeschylus.

V. 401—402. *Danaen*, quam Iuppiter amore incensus adiit in
imbrem aureum mutatus. — *Danaesque nurum*, Andromeda,
uxor Persei, filii Danaes et Iovis. — *matremque Lyæi*, matrem
Bacchi ex Iove, Semelen. — *Hæmona*, Creontis filius, qui Antigonen
amavit. De hac fabula scripsit tragœdiam *Antigonen* Sophocles. —

noctes cui coiere duæ, Alcmene, Herculis mater, cui Iuppiter concubuit duas noctes iungens.

V. 403—404. *Peliæ generum*, Admetus, maritus Alcestidis, filiæ Peliæ, de qua scripsit Euripides tragœdiam *Alcestidem*. Cf. infra adn. ad V. 5, 55. — *Thesea*, quem Ariadne, Minois filia, amavit, ab eo deserta in insula Dia. — *Pelasgum Iliacam tetigit . . . primus humum*, Protesilaus, Laodamiæ maritus, qui primus Græcorum Troiam oppugnaturorum e nave in litus escendit primusque cecidit. De eo scripsit Euripides tragœdiam *Protesilaum*; fabulam tractat Ov. Her. XIII.

V. 405—406. *Iole*, filia Euryti, regis Oechaliæ, ab Hercule capta. — *Pyrrhique parens*, Achilles, qui amavit Deidamiam et Briseidem. — *Herculis uxor*, Deianira, de qua tragœdiam *Trachinias* scripsit Sophocles; fabulam tractat Ov. Her. IX. — *Hylas*, puer pulcherrimus ab Hercule amatus, a nymphis raptus. — *Iliacusque puer*, Ganymedes, puer pulcherrimus, filius Trois, regis Troiani, quem Iuppiter in aquilam mutatus rapuit.

V. 407. *tragicos . . . ignes*, amores in tragœdiis tractatos.

V. 409. *in obscenos deflexa tragœdia risus*, hilarotragœdia, parodia tragœdiæ, quales scripsit Rhinthon Tarentinus, qui floruit tempore Ptolemæi primi.

V. 411—412. *mollem . . . fecit Achillem*, fecit ex Achille cinædum. — *modis*, versibus.

V. 413. *Iunxit Aristides Milesia crimina secum*, in æternum cum nomine suo coniunxit crimina Milesiorum Aristides Milesius, qui composuit *Μιλησιακά*, i. e. fabulas lascivas nostris fabulis, quæ dicuntur, Romanensibus similes, ubi vitia Milesiorum descripsit.

V. 415—416. *corrumpi semina matrum*, abactionem fetus. — *Eubius*, nobis ignotus.

V. 417—418. *qui composuit nuper Sybaritica*, verisimiliter Hemitheon Sybarita, librorum obscenissimorum auctor, apud Lucianum Advers. indoct. 29. ita commemoratus: *ὁ κίναιδος Ἡμιθέων ὁ Συβαρίτης, ὃς τοὺς θαυμαστοὺς ὑμῖν νόμους συνέγραψεν, ὡς χρὴ λεαίνεσθαι καὶ παρατίλλεσθαι καὶ πάσχειν καὶ ποιεῖν ἐκεῖνα*. Cf. de eodem etiam Lucian. Pseudologist. 3. — *Sybaritica*, res Sybariticas; erat enim Sybaris, urbs Græca Italiæ

meridionalis, luxuria et libidinibus infamis. — *qui concubitus non tacuere suos*, nonnulli etiam varias concubitus figuras descripserunt, ut feminae infames. Philaenis et Elephantis; cf. Priap. 63, 17: «tot figuras, quot Philaenis enarrat» et ibid. 4, 1—4: «Obscenas rigido deo tabellas Dicans ex Elephantidos libellis Dat donum Lalage rogatque, temptes, Si pictas opus edat ad figuras».

V. 419—420. *doctorum monumentis mixta virorum*, sc. in bibliothecis publicis. — *monumentis*, ingenii monumentis, libris. — *Muneribusque ducum publica facta*, in bibliothecis publicis a principibus civitatis fundatis. Primus hoc fecit Asinius Pollio, patronus Vergilii, in Atrio deæ Libertatis, deinde Augustus ad templum Apollinis Palatini et in porticu Octaviæ. Cf. Plin. N. H. XXXV. 10: «Asinii Pollionis hoc inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit» et ibid. VII. 115: «in biblotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex *manubiis* publicata Romæ est».

V. 421. *peregrinis . . . ab armis*, exemplis scriptorum peregrinorum.

V. 423—424. *suo . . . ore*, epico genere dicendi. — *Martem cecinit . . . Ennius*, bella Romanorum in Annalibus. — *ingenio maximus, arte rudis*, cf. adn. supra ad vs. 259. et Ov. Amor. I. 15, 19: «Ennius arte carens».

V. 425—426. *Explicat . . . causas rapidi Lucretius ignis*, de causis fulminis agit Lucretius carminis *De rerum natura* l. VI. 158. sqq.; cf. præcipue ibid. VI. 202: «*Hac* etiam fit uti *de causa mobilis* ille Devolet in terram liquidi color aureus ignis». — *rapidi . . . ignis*, fulminis celeris. — *Casurumque triplex vaticinatur opus*, alludit ad Lucret. V. 92—95., ubi doctrina Epicurea de fine mundi exponitur: «Principio maria ac terras cælumque tuere: Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi, Tris species tam dissimilis, tria talia texta Una dies dabit exitio».

V. 427—428. *Sic sua lascivo* etc., cf. Propert. II. 34, 87: «Hæc quoque lascivi cantarunt scripta Catulli, Lesbia quis ipsa notior est Helena».

V. 430. *In quibus ipse suum fassus adulterium est*, alludit ad Catull. 68, 143: «Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna

Fragrantem Assyrio venit odore domum, Sed furtiva dedit mira munuscula nocte, Ipsius ex ipso dempta viri gremio».

V. 431—432. *Par fuit . . . similisque licentia Calvi, Detexit variis qui sua furta modis*, C. Licinius Calvus, Catulli amicus, orator et poeta clarissimus, scripsit carmina amatoria in Quintiliam; cf. Propert. II. 34, 89: «Hæc etiam docti confessa est pagina Calvi, Cum caneret miseræ funera Quintiliæ». — *exigui . . . Calvi*, cf. Senec. Controv. VII. 4, 7: «erat (Calvus) parvolus statura, propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis (53, 5.) vocat illum *salaputium disertum*». — *furta*, amores furtivos. — *modis*, metris.

V. 433—434. *Ticidæ*, Ticidas, Catulli æqualis, scripsit carmina amatoria in Metellam, falso nomine Perillam teste Apul. Apol. 10. — *Memmi*, C. Memmius, proprætor Bithyniæ a. a. Chr. n. 57., cuius in cohorte prætoria erat Catullus. — *Rebus adest nomen nominibusque pudor*, suo quamque rem nomine notant neque obscenis verbis abstinent.

V. 435—436. *Cinna*, C. Helvius Cinna, Catulli amicus, scripsit epyllion *Smyrnam* et carmina erotica. — *Anser*, poeta eroticus, in bello civili M. Antonii sectator, de quo Cic. Phil. 13. 11. et Serv. ad Verg. Ecl. 9, 36. — *Cornifici*, Cornificius, Catulli (cf. carm. 38.) amicus, auctor epyllii *Glauci*. — *Catonis*, Valerii Catonis, amici Catulli, grammatici celeberrimi, magistri poetarum Romanorum Alexandrinos imitantium; cf. Suet. De gramm. 11: «scripsit præter grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus præcipue laudantur *Lydia* et *Diana*».

V. 437—438. *Et quorum libris* etc., versus inepte interpolati; de Metella (Perilla) enim scripsit Ticidas, ut supra ad vs. 433. adnotavimus; hoc loco autem pluribus poetis eadem amica eodem falso nomine dicta tribuitur!

V. 439—440. *Is quoque, Phasiacas Argon qui duxit in undas, Non potuit Veneris furta tacere suæ*, P. Terentius Varro Atacinus, Catulli æqualis, scripsit Argonautica et carmina amatoria in Leucadiam; cf. Propert. II. 34, 85: «Hæc quoque perfecto ludebat Iasone Varro, Varro Leucadiæ maxima flamma suæ». — *Phasiacas*, Phasis, fluvius in Colchide.

V. 441—442. *Hortensi*, Q. Hortensius Hortalus, orator cele-

berrimus, æmulus Ciceronis; carmina eius amatoria commemorat etiam Plin. Epist. V. 3, 5. — *Servi*, certe ex gente Servii Sulpicii Rufi, iurisconsulti celeberrimi tempore Ciceronis. Poetis eroticis adnumerat eum etiam Plin. Epist. V. 3, 5. — *nomina tanta*, Hortensius et Servius erant viri nobilissimo loco nati.

V. 443—444. *Vertit*, sc. in Latinum. — *Aristidem*, cf. adn. supra ad vs. 413. — *Sisenna*, L. Cornelius Sisenna, a. a. Chr. 78. prætor, scripsit historiam temporum Sullanorum. — *Historiæ turpes inseruisse iocos*, quod præter libros historiarum serios etiam fabulas obscenas Aristidis edidit.

V. 445—446. *celebrasse Lycorida Gallo*, Cornelius Gallus, *ἀρχηγέτης* elegiæ Romanæ, amicus Vergilii, qui carminibus celebravit Cytheridem mimam, falso nomine Lycoridem; cf. Propert. II. 34, 91—92: «Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus Mortuus inferna vulnera lavit aqua». — *Sed linguam nimio non tenuisse mero*, læsisse videtur Augustum, qui eum ex infima fortuna ad præfecturam Aegypti provexerat; cf. Suet. Oct. 66: «(Gallo) Augustus ob ingratum et malevolum animum domo et provinciis suis interdixit. Sed Gallo quoque et accusatorum denunciationibus et senatus consultis ad necem compulso . . . inlacrimavit».

V. 447—448. *Credere iuranti durum putat esse Tibullus, Sic etiam de se quod neget illa viro*, i. e. Tibullus eluso coniuge aditum sibi ad Deliam invenit, sed puella, quam ipse fallere docuerat, plures amatores habuit; cf. Tib. I. 6, 7: «Illa quidem iurata negat, sed credere durum est: Sic etiam de me pernegat usque viro».

V. 449—450. *Fallere custodem* etc., ex Tib. I. 6, 9: «Ipse miser docui, quo posset ludere pacto Custodes: heu heu nunc premor arte mea».

V. 451—452. *Sæpe velut gemmam* etc., ex Tib. I. 6, 25: «Sæpe velut gemmas eius signumque probarem, Per causam memini me tetigisse manum».

V. 453—454. *Utque refert, digitis* etc., ex Tib. I. 6, 19: «Neu te decipiat nutu digitoque liquorem Ne trahat et mensæ ducat in orbe notas».

V. 455—456. *Et quibus e sucis* etc., ex Tib. I. 6, 13: «Tunc sucos herbasque dedi, quis livor abiret, Quem facit impresso mutua dente Venus».

V. 457—458. *Denique ab incauto* etc., ex Tib. I. 6, 15: «At tu, fallacis coniunx incaute puellæ, Me quoque servato, peccet ut illa nihil».

V. 459—460. *Scit, cui latretur, cum solus obambulet ipse, Cur totiens clausas excreet ante fores*, ex Tib. I. 6, 31. (ad maritum Deliæ): «Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit, Instabat tota cui tua nocte canis» et I. 5, 73: «Et simulat transire domum, mox deinde recurrit Solus et ante ipsas exereat usque fores». — *clausas excreet ante fores*, i. e. ut puellæ ex composito significet se ante fores esse.

V. 463—464. *fraudi*, damno. — *iam te principe notus erat*, Augustus iam princeps civitatis fuit, cum Tibullus carminibus clarus factus est, neque tamen eum poena affecit.

V. 465. *blandi . . . Properti*, ut infra V. 1, 17: «blandique Propertius oris». — *præcepta Properti*, præcepta amatoria, ut Propert. I. 10, 11. sqq. et imprimis IV. 5. (præcepta lenæ ad puellam).

V. 467—468. *His ego successi*, sc. Gallo, Tibullo et Propertio in serie elegiacorum, ut infra IV. 10, 13: «Successor fuit hic (sc. Tibullus) tibi, Galle, Propertius illi. Quartus ab his serie temporis ipse fui». — *candor Nomina vivorum dissimulare iubet*, candor meus non simit, ut me vivorum poetarum eroticorum exemplis excusem; timeo enim, ne iis noceam. — *candor*, bonitas animi.

V. 471—472. *Sunt aliis scriptæ, quibus alea luditur, artes*, i. e. scripserunt carmen didacticum de ludo alearum. — *ad nostros non leve crimen avos*, vetabatur enim lege Titia et Publicia et Cornelia.

V. 473—474. *tali*, genus alearum, ubi quattuor tantum latera erant numeris inscripta. — *quo possis plurima iactu Vincere*, felicissimus iactus nominabatur Venus, cum unusquisque talus alium numerum monstrabat; cf. Lucian. Amor. 16: *μηδένος ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι*. — *plurima . . . Vincere*, plurima lucrari, Hungarice *nyerni*, Germanice *gewinnen*, ut apud Sueton. August. 71: «vicissem vel quinquaginta milia». — *damnosos . . . canes*, ut Ov. Art. Am. II. 206: «Damnosi facito stent tibi sæpe canes». Propert. IV. 8, 46: «Semper damnosi subsiluere canes» et Pers. Sat. 3, 49: «damnosa canicula». *Canis* erat in ludo

talorum infelicissimus iactus, cum unusquisque talus eundem numerum monstrabat.

V. 475—476. *Tessera,* genus alearum, ubi omnia sex latera numeris inscripta erant. — *distante vocato Mittere quo deceat, quo dare missa modo,* hunc locum explicare huc usque nulli contigit.

V. 477—478. *Discolor ut recto grassetur limite miles,* agitur de ludo latrunculorum, qui ludo *scachiæ* (Hungarice *sakkjáték,* Germanice *Schachspiel)* similis erat, de quo Ovid. A. A. II. 207. et III. 358. — *Discolor . . . miles,* ludebatur calculis discoloribus, qui milites appellabantur. — *Cum medius gemino calculus hoste perit,* cf. Ovid. A. A. II. 207: «Sive latrocinii sub imagine calculus ibit, Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus» et Polluc. Onomast. IX. 98: *διῃρημένων δ' εἰς δύο τῶν ψήφων κατὰ τὰς χρόας ἡ τέχνη τῆς παιδίας ἐστι περιλήψει τῶν δύο ψήφων ὁμοχρόων τὴν ἑτερόχρουν ἀναιρεῖν.*

V. 479—480. *mare velle,* (in aliis codicibus *mage velle),* corruptum est totumque distichon obscurum. Goldbacher pro *mare velle* scribendum censet *bellare,* ex Ov. A. A. III. 358. (de ludo latrunculorum): «*Bellatorque* suo prensus sine compare *bellat*», ubi *bellator* idem fere significare videtur, quod hoc versu *sequens.* — *sequens,* persecutor, verisimiliter calculus, qui in ludo calculum adversarii capere vult. — *revocare priorem,* fortasse calculum nimis promotum, qui revocandus (retrahendus) est, ne ab adversario capiatur. — *fugiens,* verisimiliter calculus, quem sequens capere vult. — *incomitatus,* i. e. non comitatus (non insectatus) calculis sequentis.

V. 481—482. *Parva sit ut ternis instructa tabella lapillis, In qua vicisse est continuasse suos,* hoc loco iam non de ludo latrunculorum agitur, sed alio ludo, de quo Ov. A. A. III. 365: «Parva tabella capit ternos utrimque lapillos, In qua vicisse est continuasse suos». De hoc ludo nihil certi scimus. — *suos,* sc. lapillos.

V. 487. *Composita est aliis fucandi cura coloris,* de qua etiam Ovidius egit in libello De medicamine faciei. — *coloris,* colorem faciei intellege.

V. 489. *humum, de qua fingantur pocula, monstrat,* tractat igitur artem *κεραμευτικήν.*

V. 491. *Talia luduntur*, talia carmina ludibunda scribuntur. — *fumoso mense Decembri*, tempore Saturnalium, quibus diebus summa rerum licentia est atque ludere impune antiquitus permissum. — *fumoso*, quia mense Decembri ardet ignis in camino.

V. 497. *mimos obscena iocantes*, mimus erat infimum fabulæ scenicæ genus, plerumque obsceni argumenti, quales scripserunt Ciceronis tempore Decimus Laberius et Publilius Syrus.

V. 499—500. *cultus*, eleganter ornatus. — *Verba dat . . . viro*, fallit virum.

V. 507—508. *Quoque minus prodest, scæna est lucrosa poetæ*, i. e. quo minus moribus prodest scæna, eo magis lucrosa est poetæ. — *non parvo . . . prætor emit*, sc. ab auctore mimi. — *crimina*, i. e. mimos male moratos. — *prætor*, curam ludorum publicorum habebant inde ab anno 22. a. Chr. prætores, antea ædiles.

V. 513. *Luminibusque*, oculis. — *totus quibus utitur orbis*, quorum custodia fruitur totus orbis.

V. 515. *imitantes turpia mimos*, μῖμος ex μιμεῖσθαι.

V. 519. *Et mea sunt populo saltata poemata*, in scæna cantata cum saltatione; cf. infra V. 7, 25: «Carmina quod pleno saltari nostra theatro Versibus et plaudi scribis, amice, meis».

V. 521. *in domibus vestris*, in domibus Cæsarum. — *prisca virorum . . . corpora*, heroes antiquitatis, argumenta picturæ seriæ. — *Artificis*, sc. veteris cuiusdam et clarissimi.

V. 523—524. *quæ concubitus varios venerisque figuras Exprimat, est aliquo parva tabella loco*, agitur de tabellis obscenis quidem, sed antiquissimis et pictoris nomine pretiosissimis, quales pinxit Parrhasius; cf. Plin. N. H. XXXV. 10: «Pinxit (sc. Parrhasius) et minoribus tabellis libidines, eo genere petulantis ioci se reficiens» et Sueton. Tib. 44: «(Tiberius) Parrhasi quoque tabulam, in qua Meleagro Atalante ore morigeratur, legatam sibi sub condicione, ut, si argumento offenderetur, decies pro ea sestertium acciperet, non modo prætulit, sed et in cubiculo dedicavit.» — *aliquo . . . loco*, verisimiliter in cubiculo.

V. 525—526. *Utque sedet vultu fassus Telamonius iram Inque oculis facinus barbara mater habet*, Aiax, Telamonis filius, propter arma Achillis non sibi, sed Ulixi adiudicata iratus, et Medea libe-

ros suos occidere parans: picturæ celeberrimæ Timomachi a Iulio Cæsare dictatore emptæ; cf. Plin. N. H. XXXV. 136: «Timomachus Byzantius Cæsaris dictatoris ætate Aiacem et Medeam pinxit ab eo in Veneris Genetricis æde positas, octoginta talentis venundatas».

V. 527—528. *madidos siccat digitis Venus uda capillos*, *Ἀφροδίτη ἀναδυομένη*, pictura Apellis ab ipso Augusto empta; cf. Plin. N. H. XXXV. 91: «Venerem exeuntem e mari divus Augustus dicavit in delubro patris Cæsaris, quæ anadyomene vocatur» et Ov. Ex Pont. IV. 1, 29: «Ut Venus artificis labor est et gloria Coi, Aequoreo madidas quæ premit imbre comas» et Art. Amat. III. 401: «Si Venerem Cous nusquam posuisset Apelles, Mersa sub æquoreis illa lateret aquis». — *maternis . . . aquis*, nata est enim e spuma maris.

V. 533—534. *tuæ . . . Aeneidos*, quam Vergilius Augusto suadente scripsit. — *in Tyrios . . . toros*, in lectum Didonis Tyriæ. — *arma virumque*, Aenean; alludit ad initium Aeneidos: «Arma virumque cano».

V. 535—536. *de corpore toto*, de Aeneide tota. — *non legitimo fœdere iunctus amor*, lib. IV. Aeneidos de amore Aeneæ et Didus.

V. 537—538. *Phyllidis . . . Amaryllidis ignes*, puellæ in Bucolicis Vergilii celebratæ; cf. Verg. Buc. 5, 10: «Incipe, Mopse, prior, si quos aut *Phyllidis ignes* aut Alconis habes laudes» et 9, 22: «Cum te ad delicias ferres, Amaryllida, nostras». — *modis*, versibus.

V. 539. *scripto . . . isto*, Arte Amatoria.

V. 541—542. *te delicta notantem Præterii*, agitur de sollemni equitum Romanorum transvectione coram censore; cf. adn. supra ad vss. 89—90.

V. 545—546. *redundavit*, sc. in me. — *veteris . . . libelli*, Artis Amatoriæ. — *Distat et a meriti tempore poena sui*, Ovidius Artem Amatoriam edidit a. 2. a. Chr. n., relegatus est a. 8. p. Chr. n. — *meriti*, peccati.

V. 547. *remissum*, iocosum, levioris argumenti.

V. 549. *Sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos*, i. e. duodecim scribere voluit, sed sex tantum perfecit.

V. 551—552. *tuo . . . scriptum sub nomine*, Fastos primum

Augusto dedicavit, deinde, cum in exilio post mortem Augusti eos retractaret, Cæsari Germanico. — *sors mea*, relegatio.

V. 553—554. *tragicis. . . cothurnis*, i. e. agendum tragœdis. — *scriptum regale*, tragœdia, ubi plerumque de regum factis agitur; cf. Hor. Sat. I. 10, 42. (de tragœdiis Asinii Pollionis): «Pollio regum Facta canit pede ter percusso». Scripsit Ovidius tragœdiam *Medeam* suo tempore celeberrimam, quæ ad nostram ætatem non pervenit. — *cothurnus*, genus dicendi tragicum.

V. 555—556. *Dictaque sunt nobis . . . in facies corpora versa novas*, Metamorphoses, quarum initium: «In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora». — *manus ultima coeptis Defuit*, cf. supra I. 7, 13. sqq.

V. 559—560. *prima surgens ab origine mundi*, a chao, unde initium capiunt Metamorphoses. — *In tua . . . tempora*, usque ad Iulium Cæsarem in sidus mutatum.

V. 561—562. *pectoris*, spiritus poetici. — *teque tuosque canam*, præcipue Metam. XV. 821—870.

V. 563—564. *mordaci carmine*, satiris aut iambis. — *Nec meus ullius crimina versus habet*, neminem accusavi versibus meis.

V. 565. *Candidus*, bonus, benevolus. — *salibus*, iocis.

V. 567—568. *tot scriptis*, abl. abs.: quamvis tot versus scripserim. — *mea Calliope*, mea Musa, mea poesis.

V. 571—572. *iacenti*, calamitate afflicto. — *candori*, bonitati, benevolentiæ.

V. 575. *Ausoniam*, Italiam. — *nisi forsitan olim*, etiam in Italiam se olim reverti posse speravit, quoad Augustus vixit; cf. infra IV. 9, 11—13: «Omnia, si nescis, Cæsar mihi iura reliquit Et sola est patria poena carere mea: Et patriam, modo sit sospes, speramus ab illo».

V. 577. *Tutius exilium*, cf. supra vs. 201: «ut nos in tuta releges».

AD LIBRUM TERTIUM.

Lib. III. eleg. 1.

De libro suo Romam adveniente.

In toto hoc carmine liber Romam adveniens loquitur de se. Liber tertius anno p. Chr. n. 10. Romam missus esse videtur.

V. 4. *amare docet,* ut olim Ars Amatoria.

V. 7. *quod viridi quondam male lusit in œvo,* Ars Amatoria. — *viridi,* iuvenili. — *lusit,* ludens scripsit; cf. infra III. 3, 73: «tenerorum lusor amorum».

V. 11—12. *Clauda . . . carmina,* quia hexameter longior est pentametro; cf. Ov. Amor. III. 1, 7: «Venit odoratos Elegeia nexa capillos, Et, puto, pes illi longior alter erat». — *alterno . . . versu,* disticho elegiaco, ubi hexameter alternat cum pentametro; eodem sensu Ov. Her. 15, 5: «alterna carmina». — *subsidunt,* quia rhythmus in hexametro surgere, in pentametro subsidere videtur. Cf. Ov. Amor. I. 1, 17: «Cum bene surrexit versu nova pagina primo, Attenuat nervos proximus ille meos». — *pedis,* metri.

V. 13—14. *cedro flavus,* cf. adn. supra ad I. 1, 7. — *pumice levis,* cf. adn. ad I. 1, 11. — *domino cultior esse meo,* cf. adn. ad I. 1, 3. — *domino,* auctore.

V. 15. *lituras,* cf. supra I. 1, 13—14.

V. 20. *Quasque petam sedes hospes,* i. e. ubi reperire possim hospitium.

V. 25—26. *terraque marique,* iunge cum *lassus.*—*Longinquo . . . ab orbe,* a parte orbis longinqua.

V. 27—28. *fora Cœsaris,* forum Augusti. — *a sacris quœ via nomen habet,* via sacra.

V. 29—30. *locus . . . Vestœ,* ædes Vestæ in via sacra. — *Pal-*

lada, Palladium, signum Minervæ olim Troiæ in arce, nunc Romæ in æde Vestæ servatum. — *ignem*, sc. æternum. — *regia . . . Numæ*, sive Atrium Vestæ, ædi Vestæ vicinum.

V. 31—32. *dextram*, sc. partem. — *Porta . . . Palati*, per quam aditus erat ad montem Palatinum. — *Stator*, ædes Iovis Statoris in via sacra sub monte Palatino. — *hoc primum condita Roma loco est*, in monte Palatino erat urbis pars antiquissima a Romulo condita, Roma quadrata.

V. 34. *tectaque digna deo*, domus Augusti in monte Palatino.

V. 36. *Augurium . . . querna corona dabat*, quia quercus erat Iovi sacra. — *querna corona*, quæ erat supra ianuam domus Augusti; cf. adn. infra ad vs. 39.

V. 37—38. *dominum*, sc. Augustum. — *magni . . . Iovis*, i. e. Augusti; cf. supra I. 4, 26. et I. 5, 78.

V. 39—40. *apposita velatur ianua lauro*, ex senatusconsulto ante domum Augusti triumphatoris ponebantur lauri et supra ianuam erat corona querna sive civica, præmium ob cives servatos dari solitum. Cf. Cass. Dio. LIII. 16: *καί τό τε δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι καὶ τὸ τὸν στέφανον τὸν δρύινον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ ὡς καὶ αἰεὶ τούς τε πολεμίους νικῶντι καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι ἐψηφίσθη.*
Cingit et augustas arbor opaca fores. cf. Ov. Met. I. 562. (de lauro): «Postibus Augustis eadem fidissima custos Ante fores stabis».
arbor opaca, i. e. laurus, cuius densæ frondes umbram opacam præbent; cf. Hor. Carm. II. 25, 9: «Tum spissa ramis laurea fervidos Excludit ictus».

V. 42. *Leucadio semper amata deo est*, Apollo Leucadius in pugna Actiaca Augusto opem tulisse putabatur. — *Leucadio . . . deo*, Apollini, nam in insula Leucade, non procul a promunturio Actio, Apollo, cui sacra erat laurus, templum habebāt celeberrimum.

V. 43—44. *facit omnia festa*, hilaria, beata. — *pacis . . . nota*, laurus et victoriam et pacem significat, quare etiam deæ, Pax et Concordia, lauro ornabantur; cf. Ov. Fast. I. 711: «Frondibus Actiacis comptos redimita capillos Pax ades» et VI. 61: «Venit Apollinea longas Concordia lauro Nexa comas» et Metam. XV. 59: «pacali cornua lauro Velat».

V. 47. *superpositæ . . . coronæ,* quernæ coronæ supra ianuam positæ; cf. adn. supra ad vs. 39. — *scripto,* inscriptione. — *testata,* sensu passivo.

V. 49—50. *unum . . . civem,* sc. poetam. — *extremo . . . in orbe,* Tomis in parte orbis extrema.

V. 52. *Non facinus,* cf. adn. supra ad I. 2, 98. — *error,* cf. adn. ad. I. 2, 99.

V. 56. *alternos . . . pedes,* versus; cf. adn. supra ad vs. 11.

V. 57. *placere,* coniunct. pass. a *placare.* — *parenti,* auctori.

V. 59—60. *timore pari,* referendum ad vss. 53—56. — *intonsi candida templa dei,* templum Apollinis in monte Palatino ab Augusto erectum. — *intonsi . . . dei,* Apollo, qui longis crinibus insignis est.

V. 61—62. *Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis, Belides et stricto barbarus ense pater,* in porticu templi Apollinis Palatini erant statuæ Danaidum inter columnas collocatæ unaque cum iis pater Danaus stricto ense; cf. Propert. II. 31, 3: «porticus . . . Poenis digesta columnis, Inter quas Danai femina turba senis» et Ov. Amor. II. 2, 4: «Illa quæ Danai porticus agmen habet» et A. A. I. 73: «Quaque parare necem miseris patruelibus ausæ Belides et stricto stat ferus ense pater». — *peregrinis . . . columnis,* ex marmore Numidico factis, unde Propert. II. 31, 3: «Poenis digesta columnis». — *Belides,* Danaides; Belus enim erat Danai pater. — *stricto . . . ense pater,* Danaus filiabus ensem daturus, ut sponsos occidant.

V. 63—64. *viri . . . veteres . . . novique,* scriptores. — *cepere,* concepere. — *lecturis inspicienda patent,* iuxta ædem Apollinis Palatini erat bibliotheca publica ab Augusto dicata.

V. 65. *Quærebam fratres,* i. e. cetera Ovidii carmina. — *exceptis . . . illis,* tribus Artis Amatoriæ libris.

V. 67. *Quærentem frustra,* nam opera Ovidii iussu Augusti ex bibliothecis publicis removebantur.

V. 69. *Altera templa peto, vicino iuncta theatro,* porticus Octaviæ iuxta theatrum Marcelli, ubi erat altera bibliotheca publica ab Augusto dicata.

V. 71. *quæ doctis patuerunt prima libellis,* primam bibliothecam publicam dicavit Asinius Pollio, fautor Vergilii, in Atrio

Libertatis; cf. Isid. Orig. 6, 4: «Primum Romæ bibliothecas publicavit Pollio Græcas simul atque Latinas additis auctorum imaginibus in Atrio, quod de manubiis magnificentissimum instruxerat».

V. 73. *In genus*, in filios.

V. 76. *Evictus longo tempore Cæsar*, cf. supra II. 576: «Cum longo poenæ tempore victus eris».

V. 77. *turba*, dii minores.

V. 81. *repulsæ*, quia in bibliothecis publicis non tolerantur.

Lib. III. eleg. 2.

Poeta Tomis visis desperat.

V. 1—2. *Scythiam*, Scythæ litora septentrionalia Ponti Euxini incolebant, erant igitur Tomis vicini. — *Lycaonio . . . sub axe*, sub cælo septentrionali, ubi est sidus Ursæ maioris. — *Lycaonio*, cf. adn. supra ad I. 3, 48: «Parrhasis arctos». — *axe*, cælo; axis cæli pro cælo toto.

V. 3—4. *Pierides*, Musæ, natæ in terra Pieria sub monte Olympo. — *stirps Letoia*, Letus (Latonæ) filius, Apollo.

V. 5. *lusi vero sine crimine*, cf. supra II. 355—356. — *Quodque magis vita Musa iocata mea est*, cf. supra II. 353—354.

V. 7—8. *terraque*, cum per Thraciam et Moesiam terrestri itinere Tomos peteret; cf. adn. supra ad I. 11, 26. — *Ustus*, de frigore, ut infra III. 4, 48: «terra perusta gelu» et V. 2, 66: «Glebaque . . . obusta gelu». — *Pontus*, sc. Euxinus.

V. 9. *fugax rerum*, negotiorum.

V. 22. *Quidquid . . . mei*, i. e. uxor, filia et amici, tamquam partes animi poetæ.

V. 25—26. *tot gladios*, cf. adn. ad I. 1, 43—44. — *procella*, cf. supra I. 2. et 4. descriptionem tempestatis marinæ.

V. 28. *deus unus*, Augustus.

Lib. III. eleg. 3.

Ad uxorem de se ægrotante.

V. 2. *æger eram*, imperfectum stilo epistularum proprium.

V. 3. *in extremis ignoti partibus orbis*, ut supra II. 1, 50: «Qui procul extremo pulsus in orbe latet».

V. 6. *Sauromatas*, cf. adn. supra ad II. 193: «Sauromatæ». — *Getasque*, Getæ incolebant Moesiam in ripa dextra Danuvii; horum finitimi et consanguinei (cf. Plin. IV. 80.) erant Daci in ripa Danuvii sinistra.

V. 7. *nec aquis adsuevimus istis*, cf. Ep. ex Pont. III. 1, 17. (de Tomis): «Nec tibi sunt fontes, laticis nisi pæne marini. Qui potus dubium sistat alatne sitim» et ibid. I. 10, 35: «Unda locusque nocent», ibid. II. 7, 74: «Aequoreo bibitur cum sale mixta palus».

V. 10. *Nullus*, sc. medicus. — *Apollinea . . . arte*, Apollo erat deus medicinæ; cf. Ov. Rem. 76: «Carminis et medicæ, Phœbe, repertor opis».

V. 14. *subit*, cf. adn. supra ad I. 3, 1.

V. 16. *plus in nostro pectore parte*, plus quam dimidium; cf. Hor. Carm. I. 3, 8: «Et serves animæ dimidium meæ» et ibid. II. 17, 5: «A, te meæ si partem animæ rapit Maturior vis». — *plus . . . parte*, ut infra V. 10, 29: «Quippe simul nobis habitat discrimine nullo Barbarus et tecti plus quoque parte tenet».

V. 19. *aliena locutum*, i. e. mente alienata in febri.

V. 21—22. *subpressaque lingua palato*, lingua sicca (cf. infra vs. 86.) palato adhærens. — *Vix instillato restituenda mero*, cf. Ep. ex Pont. I. 3, 10: «Ut solet infuso vena redire mero». — *restituenda*, supple: erit.

V. 25. *istic*, sc. Romæ; *istic* in epistulis sæpe usurpatur de loco, ubi est is, cui epistula scribitur; cf. Cic. Fam. VII. 13: «scribite, quid istic (sc. Romæ) agatur».

V. 31. *Quantum erat*, fuisset, ut Ov. Metam. IV. 7, 4: «Quantum erat, ut sineres toto nos corpore iungi».

V. 34. *fugam*, exilium.

V. 35. *lucem*, vitam.

V. 40. *Depositum*, ægrotum, de cuius salute desperatur; cf. Serv. ad Verg. Aen. XII. 395: «depositi, i. e. desperati, nam apud veteres consuetudo erat, ut desperati ante ianuas suas collocarentur, vel ut extremum spiritum redderent terræ, vel ut possent a transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laboraverunt morbo».

V. 41—42. *dominæ lacrimis . . . Accedent animæ tempora parva*

meæ, dolor suorum mortem ægroti morari putabatur; cf. Propert. IV. 7, 23: «At mihi non oculos quisquam inclamavit euntes: Unum impetrassem te revocante diem». — *animæ*, vitæ.

V. 43—44. *cum clamore supremo*, intellegenda est sollemnis conclamatio lugentium; mos enim erat, ut, cum moreretur ægrotus, conclamaret tota domus. — *labentes*, de oculis, qui morte clauduntur, ut Verg. Aen. XI. 818: «labuntur frigida leto Lumina».

V. 48. *feries pavida pectora fida manu*, planctus sollemnis, signum luctus.

V. 50. *Clamabis miseri nomen inane viri*, ut in sepultura nomen mortui ter clamabatur.

V. 51. *Parce tamen lacerare genas nec scinde capillos*, ut Tibull. I. 1, 67: «Tu manes ne læde meos, sed parce solutis Crinibus et teneris, Delia, parce genis».

V. 58. *non rude*, non inexpertum.

V. 60. *Effugiatque avidos pars mihi nulla rogos*, cf. infra IV. 86: «Et gracilis structos effugit umbra rogos».

V. 62. *Samii . . . senis*, Pythagoræ Samii, qui immortalitatem animæ et μετεμψύχωσιν docebat.

V. 63—64. *Sarmaticas*, cf. supra vs. 6. — *Romana*, sc. umbra. — *Perque feros manes*, inter.

V. 65. *referatur*, sc. Romam.

V. 67—68. *Thebana . . . soror*, Antigone, Oedipodis, regis Thebani filia, quæ contra iussa regis Creontis sepelivit fratrem Polynicem, quam fabulam tractat celeberrima Sophoclis tragœdia. *Antigone*.

V. 69—70. *ea cum foliis et amomi pulvere misce*, cineres in urna positi misceri solebant odoribus: cf. Lygdam. 2. 23. (de urna): «Illuc, quas mittit dives Panchaia merces Eoique Arabes, pinguis et Assyria . . . fundantur» et Tibull. I. 3, 7: «Assyrios cineri quæ reddat odores». — *foliis*, sc. bene olentibus. — *suburbano . . . solo*, mortui sepeliebantur in suburbano, plerumque ad viam Appiam, Flaminiam et Latinam.

V. 71—72. *Quosque legat versus oculo properante viator*, ut Propert. IV. 7, 83: «Hic carmen media dignum me scribe columna, Sed breve, quod currens vector ab urbe legat». — *Grandibus in tituli marmore cæde notis*, ut Tibull. I. 3, 54: «Fac lapis inscriptis

stet super ossa notis». — *in tituli marmore*, in tabula marmorea inscriptioni (titulo) destinata. — *notis*, litteris.

V. 73—76. *tenerorum lusor amorum*, ut infra IV. 10, 1: «Ille ego qui fuerim, tenerorum lusor amorum». — *Ingenio perii . . . meo*, cf. adn. supra ad I. 1, 56. — *quisquis amasti*, i. e. gaudia tormentaque amoris sensisti. — *molliter ossa cubent*, cf. Tibull. II. 4, 50: «Terraque securæ sit super ossa levis» et Ov. Amor. III. 9, 68.: «Et sit humus cineri non onerosa tuo».

V. 81—82. *feralia munera*, inferias ex vino, melle et lacte constantes. — *Deque tuis lacrimis umida serta dato*, ut Tibull. II. 6, 31: «illius dona sepulcro Et madefacta meis serta feram lacrimis».

V. 86. *Dictandi*, poeta non ipse litteras scribit, sed servo dictat; cf. supra vss. 1—2.

V. 88. *non habet ipse, vale*, sc. valetudinem.

Lib. III. eleg. 4.

Ad amicum de vitanda principum amicitia.

V. 1—2. *tempore duro*, sc. relegationis. — *res postquam procubuere meæ*, cf. Ep. ex Pont. I. 9, 13. (de relegatione sua): «Cum domus ingenti subito mea lapsa ruina Concidit in domini procubuitque caput».

V. 3—4. *Usibus*, experientia. — *longe nomina magna fuge*, i. e. amicitias principum, propter quas Ovidius relegatus est; cf. infra Excurs. II.

V. 5—6. *prœlustria*, illustria, excelsa. — *Sævum prœlustri fulmen ab arce venit*, cf. adn. supra ad I. 1, 72.

V. 12. *grave . . . onus*, plumbum, quo utuntur piscatores ad retia submergenda.

V. 19. *miser Elpenor*, umbra Elpenoris, comitis Ulixis, in Orco occurrens Ulixi narrat mortem suam Hom. Odys. XI. 62: *Κίρκης δ' ἐν μεγάρῳ καταλέγμενος οὐκ ἐνόησα Ἄψορρον καταβῆναι, ἰὼν ἐς κλίμακα μακρήν, Ἀλλὰ καταντικρὺ τέγεος πέσον, ἐκ δέ μοι αὐχὴν Ἀστραγάλων ἐάγη, ψυχὴ δ' Ἀϊδόσδε κατῆλθεν.*

V. 22. *Icarus . . . nomine signet aquas*, cf. adn. supra ad I. 1, 90.

V. 24. *pennas ambo non habuere suas*, quia Dædalus ex pennis avium alas sibi composuit; cf. Ov. A. A. II. 45. sqq.

V. 25. *bene qui latuit, bene vixit,* ex sententia Epicuri: λάθε βιώσας.

V. 27. *Non foret Eumedes orbus.* Eumedes erat pater Dolonis a Diomede occisi, qui Achivorum consilia exploratum prodierat Troia præmium sibi pactus Achillis equos: cf. Hom. Il. X. 314. sqq.

V. 29—30. *Nec natum in flamma,* sc. Phaethontem; cf. adn. supra ad I. 1, 79. — *in arbore natas,* sorores Phaethontis, cum fratris mortem deflerent, in alnos mutatæ sunt. — *Cepisset genitor si Phaethonta Merops,* i. e. si contentus fuisset Phaethon patre mortali, Merope; Merops enim erat maritus Clymenes, at Clymene Phaethontem non ex Merope, sed ex deo Sole peperit. Quare Phaethon, ut se Solis filium probaret, Solis currum regendum sibi poposcit. Cf. Ov. Metam. I. 750. sqq. — *Cepisset,* delectasset.

V. 32. *Propositique . . . contrahe vela tui,* ut Hor. Carm. II. 10, 23: «Contrahes vento nimium secundo Turgida vela». Cf. Ov. Ep. ex. Pont. I. 8, 72: «Et voti, quæso, contrahe vela tui».

V. 33—34. *pede inoffenso spatium decurrere vitæ,* cf. supra adn. ad I. 9, 1: «Detur inoffenso vitæ tibi tangere metam». — *candidiore,* prosperiore, quam ego.

V. 39—40. *Nostra tuas vidi lacrimas super ora cadentes, Tempora quas uno fidaque verba bibi,* cf. infra III. 5, 13: «Et lacrimas cernens in singula verba cadentes Ore meo lacrimas, auribus illa bibi».

V. 46. *Scythicus . . . Pontus,* Pontus Euxinus, cuius litora septentrionalia Scythæ incolebant.

Lib. III. eleg. 4^{b}.

Ad amicos, quos nominare non vult.

V. 47—48. *Proxima sideribus tellus . . . ursæ,* terra septentrionalis, quia sidus Ursæ maioris in parte septentrionali cæli est. — *Erymanthidos ursæ,* cf. adn. supra ad I. 4, 1. — *terra perusta gelu,* cf. supra adn. ad III. 2, 8.

V. 49. *Bosphoros,* sc. Bosporus Cimmerius, qui Pontum Euxinum a palude Mæotide separat. — *Tanais,* fluvius Scythiæ, nunc *Don* appellatus. — *superant,* restant. — *Scythiæque palu-*

des, palus Mæotis, nunc: mare Asovium. — *Scythiaque*, cf. adn. supra ad III. 4, 46.

V. 57. *domus*, de domo Romana Ovidii cf. adn. supra ad I. 3, 29—30.

V. 62. *Impositumque sibi firma tuetur onus*, i. e. rem familiarem poetæ administrat causamque eius defendit; cf. supra adn. ad I. 3, 88. et ad I. 6, 5—16.

V. 65. *timor officium cautus compescit*, nominare amicos non vult, ne amicitia relegati iis noceat: aliter fecit postea in Epistulis ex Ponto. Cf. Ep. ex Pont. II. 1, 15—18., ubi Epistulas cum Tristibus comparat: «Invenies, quamvis non est miserabilis index, Non minus hoc illo triste, quod ante dedi. Rebus idem, titulo differt; et epistula, cui sit, Non occultato nomine, missa docet» et ibid. III. 6, 45—50. (de clementia Augusti): «Ipse ego, quod primo scripsi sine nomine vobis, Vix excusari posse mihi videor. Sed pavor attonito rationis ademerat usum, Cesserat omne novis consiliumque malis, Fortunamque meam metuens, non vindicis iram, Terrebar titulo nominis ipse mei».

V. 69. *anceps*, periculosum.

V. 74. *vos animo semper adesse meo*, cf. supra vs. 56.

V. 76. *proiecto*, cf. adn. supra ad II. 571: «iacenti».

Lib. III. eleg. 5.

Ad Carum.

Scripta est hæc elegia ad Carum, ut ex vs. 18. elucet. Ad eundem missa est Ep. ex Pont. IV. 13. Fuit poeta epicus, auctor Heracleidis (cf. Ep. ex Pont. IV. 13, 11—12. et IV. 16, 7—8.) eique erat demandata cura liberorum Cæsaris Germanici educandorum, ut ex Ep. ex Pont. IV. 13, 45—48. apparet.

V. 4. *suo*, secundo; cf. adn. supra ad I. 10, 50.

V. 5. *cunctique metu fugere ruinam*, cf. adn. supra ad II. 83—84.

V. 7. *igne Iovis*, cf. supra I. 1, 72. — *Iovis*, Augusti, ut supra I. 4, 26.

V. 9—10. *recens*, sc. amicus. — *vix duo tresve mihi*, cf. supra I. 5, 33: «Vix duo tresve mihi de tot superestis amici».

V. 13—14. *Et lacrimas cernens* etc., cum vss. 13—14. cf. supra III. 4, 39—40.

V. 15. *Bracchiaque accepi presso pendentia collo,* ut Lygdam. 6, 45: «Nec vos aut capiant pendentia bracchia collo».

V. 18. *Scis Carum veri nominis esse loco,* i. e. amico nomen fuit Carus. Cetera eius nomina ignoramus; cf. Ep. ex Pont. IV. 13, 2. (ad Carum): «Qui, quod es, id vere, Care, vocaris, ave».

V. 26. *Tristia,* severa. — *dei,* Augusti.

V. 32. *faciles motus . . . capit,* i. e. facile movetur.

V. 38. *Dardanii . . . senis,* Priami Troiani, cui Hectoris corpus humandum reddidit Achilles: cf. Hom. Il. XXIV. 468—676. — *Dardanii,* Dardanus, rex antiquissimus Troadis, erat auctor generis regum Troianorum.

V. 39—40. *ducis Emathii,* Alexandri Magni. — *Emathii,* Macedonis: Emathia erat vetus nomen Macedoniæ. — *Porus,* Alexander Magnus devicto a se Poro, regi Indico, non pepercit solum, sed et regnum restituit. Cf. Iustin. Hist. XII. 8. — *Darei . . . funeris exsequiæ,* agitur de Dario Codomanno, ultimo rege Persarum, quem interfectum Alexander regio more sepeliri reliquiasque eius maiorum tumulis inferri iussit teste Iustin. Hist. XI. 15.

V. 42. *Iunonis gener,* Hercules in deorum numerum relatus uxorem duxit Heben, filiam Iunonis.

V. 43—44. *nullam sperare salutem,* eadem verba in fine hexametri Verg. Aen. II. 354: «Una salus victis nullam sperare salutem». — *Cum poenæ non sit causa cruenta meæ,* ut infra V. 2, 33: «neque enim mea culpa cruenta est».

V. 45—46. *Non mihi . . . petitum Cæsareum caput est,* cf. supra I. 5, 41.

V. 47—48. *violataque,* polluta. — *loquendo,* conviciis in Augustum. — *Lapsaque sunt nimio verba profana mero,* quod accidit Cornelio Gallo; cf. adn. supra ad II. 446.

V. 49—50. *Inscia quod crimen viderunt lumina* etc., cum vss. 49—50. cf. adn. ad II. 103—104.

V. 52. *error,* cf. adn. ad I. 2, 99: «si me meus abstulit error».

V. 54. *mutati . . . loci,* cf. supra II. 575—578.

V. 55—56. *Hos utinam nitidi Solis prœnuntius ortus Afferat*

admisso Lucifer albus equo, ex Tibull. I. 3, 93: »hunc illum nobis Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis»; cf. Ov. Amor. II. 11. 55: «Hæc mihi quamprimum cælo nitidissimus alto Lucifer admisso tempora portet equo» et Ep. ex Pont. I. 4, 57: «Memnonis hanc utinam lenito principe mater Quamprimum roseo provocet ore diem». — *Hos . . . nitidi Solis . . . ortus*, i. e. hunc diem. — *prænuntius . . . Lucifer*, stella matutina, orientis Solis prænuntius. — *admisso . . . equo*, Lucifero, ut soli et lunæ, currum equosque tribuit poeta, ut etiam Amor. I. 6, 65. et II. 11, 56. Ante oculos habuit Tibull. I. 9, 62: «Dum rota Luciferi provocet orta diem».

Lib. III. eleg. 6.

Ad amicum, verisimiliter ad Atticum.

Scripta est hæc elegia verisimiliter ad intimum poetæ amicum, Atticum; cf. adn. ad vss. 3—8., 11., 20. et 21. Ad eundem scripsit Ovidius Amor. I. 9., Ep. ex Pont. II. 4. et 7. et verisimiliter etiam Trist. V. 4.

V. 3—4. *nec te mihi carior alter*, referendum videtur ad Atticum, de quo infra V. 4, 23—24: «Te tamen, o si quid credis mihi, carior illi Omnibus, in toto pectore semper habet». — *Nec tibi me tota iunctior Urbe fuit*, cf. de Attico Ep. ex Pont. II. 4, 19: «Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis, Nos via, nos *iunctis* curva theatra locis».

V. 5—6. *Isque erat usque adeo populo testatus . . . amor*, quia populus eos semper una vidit in locis publicis; cf. adn. supra ad vs. 4.

V. 7—8. *in caris . . . amicis*, erga caros amicos. — *candor*, bonitas, benevolentia. — *ipsi, quem colis . . . viro*, fortasse Tiberio, si quidem Atticus Ovidii idem est, atque Curtius Atticus ille, qui comes erat Tiberio imperatori in Campaniam secedenti a. 26. p. Chr. n. Cf. Tac. Ann. IV. 58: «Profectio arto comitatu fuit: unus senator consulatu functus, Cocceius Nerva, cui legum peritia, eques Romanus præter Seianum ex inlustribus Curtius Atticus».

V. 11. *Cuique ego narrabam, secreti quicquid habebam*, cf. Ep. ex Pont. II. 4, 9. (de Attico): «Seria multa mihi tecum conlata recordor».

V. 16. *clausum est,* scripsi ex mea coniectura; codices: *claudunt* aut *claudent,* quod procul dubio corruptum.

V. 20. *Pars desiderii maxima pæne mei,* cf. infra Trist. V. 4, 27—28. (verisimiliter de Attico): «Nec patriam magis ille suam desiderat et quæ Plurima cum patria sentit abesse sibi. Quam vultus oculosque tuos».

V. 21. *gratia,* referendum videtur ad gratiam Attici apud Tiberium; cf. adn. supra ad vs. 8.

V. 23—24. *Numinis . . . læsi,* Augusti; cf. adn. ad I. 5, 84. — *Mutato . . . loco,* cf. supra II. 575—578.

V. 25—26. *nullum scelus,* cf. adn. ad I. 2, 98. — *error,* cf. adn. ad I. 2, 99.

V. 28. *Lumina funesti conscia . . . mali,* cf. adn. ad II. 103—104.

V. 30. *ipse pudor,* cf. infra V. 8, 23—24: «Vel quia peccavi citra scelus utque *pudore* Non caret, invidia sic mea culpa caret».

V. 35. *Stultitiamque,* cf. adn. ad I. 2, 100.

V. 37. *alium,* sc. locum.

Lib. III. eleg. 7.

Ad Perillam poetriam, discipulam suam.

V. 1. *Perillam,* certe fictum nomen puellæ Romanæ.

V. 4. *Pieridasque,* cf. adn. supra ad III. 2, 3.

V. 6. *Vivere me dices, sed sic, ut vivere nolim,* cf. supra I. 1, 19: «Vivere me dices, salvum tamen esse negabis».

V. 9—10. *ad Musas, quamvis nocuere, reverti,* cf. supra II. 1—4. — *in alternos . . . pedes,* in disticha elegiaca; cf. adn. supra ad III. 1, 11.

V. 11—12. *studiis communibus,* arti poeticæ. — *non patrio carmina more,* i. e. non amatoria carmina, ut Ovidius. — *patrio,* poeta se tamquam patrem esse Perillæ dicit, quia magister eius fuit in poesi; cf. infra vs. 18.

V. 13—14. *cum Fatis mores natura pudicos Et raras dotes ingeniumque dedit,* i. e. tibi natura una cum Parcis dedit, natura et Parcæ dederunt; cf. Hor. Carm. II. 16, 38: «mihi . . . Spiritum Graiæ tenuem Camenæ Parca non mendax dedit». — *cum Fatis,*

Fata personificata, *Μοῖραι*, Parcæ, ut Propert. IV. 7, 51: «Fatorum carmen».

V. 15—16. *Pegasidas . . . ad undas*, ad fontem Musarum sub monte Helicone, ad Hippocrenen, quam Pegasus olim ungula effoderat: cf. *Πηγασὶς κρήνη* Anth. Pal. XI. 24. et IX. 230. — *fecundæ vena . . . aquæ*, ad venam ingenii referendum, ut infra III. 14, 33: «Ingenium . . . cuius et ante Fons infecundus parvaque vena fuit»; cf. Hor. Carm. II. 18, 9: «ingeni Benigna vena est».

V. 20. *vates Lesbia*, Sappho; cf. supra II. 365: «Lesbia Sappho».

V. 26. *causa ruboris eram*, i. e. te castigavi.

V. 27. *Forsitan exemplo*, corruptum videtur *exemplo; reponendum* tale quid: *horres, ne;* i. e. forsitan times, ne, quia mihi libelli nocuerunt, tu quoque fata poenæ meæ sequaris; cf. infra vs. 29: «Pone, Perilla, metum».

V. 30. *femina nulla Nere vir a scriptis discat amare tuis*, ut ab Arte Amatoria, ubi poeta ll. I—II. iuvenes, l. III. puellas amare docet.

V. 32. *tua sacra*, ad poesin; poeta enim, cum carmina condunt, Musis sacra facere videntur.

V. 34. *in antiqua fronte*, in fronte priore, quæ erat sine rugis, i. e. in fronte, quæ prius (antea) sine rugis erat; cf. infra IV. 10, 93: «Iam mihi canities pulsis melioribus annis Venerat *antiquas* miscueratque comas». *Antiquus* proprio sensu: prior, non: vetus.

V. 35—36. *senectus, Quæ strepitum passu non faciente venit*, cf. Tibull. I. 10, 33: «mortem: Imminet et tacito clam venit illa pede», Lygd. 5, 16: «Nec venit tardo curva senecta pede» et Ov. A. A. II. 670: «Iam veniet tacito curva senecta pede».

V. 42. *Irus et est subito, qui modo Crœsus erat*, ut Propert. III. 5, 17: «Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro». — *Irus*, mendicus in Ithaca ex Hom. Odys. XVIII. 2—7. notus. — *Crœsus*, rex ditissimus Lydiæ, Solonis æqualis.

V. 51—52. *Dumque suis victrix omnem de montibus orbem Prospiciet domitum . . . Roma*, cf. supra I. 5, 69: «quæ de septem totum circumspicit orbem Montibus . . . Roma». — *Martia Roma*, Marti, patri Romuli et Remi, cara.

V. 54. *venturos . . . rogos*, i. e. mortem.

Lib. III. eleg. 8.

Poeta de valetudine parum prospera queritur.

V. 1—2. *Nunc ego Triptolemi* etc., cum vss. 1—2. cf. Ov. Amor. III. 6, 15—16: «Nunc opto currum, de quo Cerealia primum Semina venerunt in rude missa solum». — *Triptolemi . . . curru*, Triptolemus, filius Celei, regis Eleusinii, a Cerere accepit currum draconibus alatis vectum, ut orbem terrarum peragrans homines agriculturam doceret. Cf. Ov. Metam. V. 642. sqq. — *in ignotam . . . humum*, cuius fertilitas eo usque hominibus ignota erat. — *rude semen*, novum frumenti semen eo usque ignotum.

V. 3. *Medeæ . . . dracones*, referendum ad currum Medeæ draconibus alatis vectum, in quo liberis occisis Corintho fugit.

V. 6. *tuas, Perseu*, soleas alatas, i. e. talaria, quæ Perseus a Mercurio accepit ad Medusam superandam. Cf. Ov. Amor. III. 6, 13: «Nunc ego (opto), quas habuit pinnas Danaeius heros, Terribili densum cum tulit angue caput. — *Dædale*, cf. adn. supra ad III. 4, 24.

V. 12. *Quæ non ulla tibi fertque feretque dies*, ut Ov. Amor. III. 6, 17: «Prodigiosa loquor veterum mendacia vatum: Non tulit hæc unquam nec feret ulla dies».

V. 14. *quem sensisti*, cuius poenam sensisti.

V. 19—20. *Forsitan hoc olim* etc., cum vss. 19—20. cf. supra II. 575—578.

V. 22. *quolibet*, i. e. non Romam, sed in quemlibet alium locum.

V. 23. *Nec cælum nec aquæ faciunt, nec terra*, cf. supra III. 3, 7—8. — *nec aquae*, cf. adn. supra ad III. 3, 7. — *faciunt*, sc. ad me, conveniunt mihi.

V. 27. *Ut*, ex quo.

V. 35—36. *ante oculos veluti spectabile corpus Astat fortunæ forma videnda meæ*, cf. supra III. 4, 55: «Sic tamen hæc absunt, ut quæ contingere non est Corpore: sunt animo cuncta videnda meo».

V. 37. *moresque hominum*, i. e. Getarum et Sarmatarum barbarorum, qui Tomos incolebant; cf. adn. supra ad I. 2, 82. — *cultusque*, vestitum; cf. infra III. 10, 19. (de incolis Tomorum):

«Pellibus et sutis arcent mala frigora bracis». — *sonumque*, linguam.

V. 40. *offensas . . . suas*, cf. supra II. 133. (de Augusto): «Tristibus invectus verbis — ita principe dignum — Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas». Hæc offensa qualis fuerit, vide infra in Excurs. II.

V. 41. *civiliter*, clementer.

Lib. III. eleg. 9.

De origine nominis Tomorum.

V. 2. *Inter inhumanæ nomina barbariæ*, inter loca barbaris nominibus notata; cf. supra III. 4, 49—50: «Bosphoros et Tanais superant Scythiæque paludes Vix satis et noti nomina pauca loci».

V. 3—4. *Huc quoque Mileto missi venere coloni*, Tomi erant colonia Milesiorum; cf. adn. supra ad I. 10, 41. — *Inque Getis*, inter Getas, qui incolebant provinciam Moesiam, ubi erant Tomi.

V. 6. *Absyrti*, fratris Medeæ.

V. 7. *cura pugnacis facta Minervæ*, Argo, prima navis, erat opus Minervæ Argonautis datum; cf. Catull. 64, 8: «Diva quibus . . . ipsa levi fecit volitantem flamine currum, Pinea coniungens inflexæ texta carinæ: Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten». — *pugnacis*, deæ bellicæ.

V. 11—12. *Quem*, sc. patrem Medeæ. — *Colchide . . . venit*, sc. navis. — *Colchide*, ubi Aeetes, pater Medeæ, rex erat.

V. 13. *Minyæ*, Argonutæ; Minyas erat rex Orchomeni, unde genus ducebant incolæ Iolci, patriæ Iasonis.

V. 15. *meritorum*, peccatorum; cf. supra adn. ad II. 546.

V. 19—20. *Tenemur*, capimur, perimus. — *Aut*, ex mea coniectura; codices: *et*. Intellege: aut capimur a patre, aut pater aliqua fraude morandus est.

V. 33. *Tomis*, sive Tomi, a *τέμνειν*.

Lib. III. eleg. 10.

De hieme Tomitana.

V. 1. *istic*, sc. Romæ; cf. adn. ad III. 3, 25. — *adempti*, cf. adn. ad I. 1, 27.

V. 3. *Suppositum stellis nunquam tangentibus æquor*, sub Ursa maiore et minore, i. e. sub cælo septentrionali; cf. adn. ad III. 4, 47. — *nunquam tangentibus æquor*, quia sidera Ursæ maioris et minoris nunquam occidunt, in quavis anni parte in cælo fulgent. Cf. adn. supra ad I. 2, 29.

V. 5. *Sauromatæ*, cf. adn. ad II. 198. — *Bessique*, populus Thracius montes Hæmi incolens. — *Getæque*, cf. adn. supra ad III. 3, 6.

V. 7—8. *medio . . . Histro*, quia Hister (Danuvius) regionem Tomorum a Dacis et Sarmatis separat. — *liquidus*, dum liquidus est, non est glacie concretus.

V. 9—10. *squalentia*, rigida. — *marmoreo . . . gelu*, a colore albo pruinæ.

V. 11—12. *sub arcto*, cf. adn. supra ad vs. 3. — *axe tremente*, cælo gelido, quia cælum ipsum frigore tremere videtur. — *axe*, cælo, cf. adn. ad I. 2, 46. — *premi*, ita urgeri, ut per Danuvium glacie concretum regiones meridionales quærere cogantur.

V. 19. *Pellibus et sutis arcent mala frigora bracis*, cf. infra V. 7, 49: «Pellibus et laxis arcent mala frigora bracis».

V. 23—24. *Nudaque . . . vina*, sc. sine vase. — *consistunt*, cf. infra V. 10, 1: «frigore constitit Hister». et Ep. ex Pont. IV. 7, 8: «Ipse vides rigido stantia vina gelu».

V. 27—28. *papyrifero . . . non angustior amne*, Nilo; cf. adn. ad II. 189. — *papyrifero*, cf. Plin. N. H. XIII. 11: «papyrum nascitur in palustribus Aegypti aut quiescentibus Nili aquis». — *vasto . . . freto*, mari. — *multa per ora*, septem ostia Histro tribuit supra II. 189.

V. 34. *Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves*, cf. Ep. ex Pont. IV. 7, 7: «Ipse vides certe glacie concrescere Pontum, Ipse vides rigido stantia vina gelu, Ipse vides, onerata ferox ut ducat Iazyx Per medias Histri plaustra bubulcus aquas».

V. 35. *credar*, credetur mihi; idem verbi usus Ov. Metam. VII. 98. et XV. 74.. Fast. III. 74. et 351.

V. 38. *testa*, glacies, tegmen aquæ.

V. 41—42. *Leandre*, Hero erat sacerdos Veneris Sesti, in litore Hellesponti Europæo, Leander autem iuvenis habitabat Abydi in litore adverso et noctu transnare solebat Hellespontum, ut amicam occulto conveniret, quod ei demum exitio fuit. De hac fabula cf. Ov. Her. 18. et 19. — *angustæ . . . aquæ*, Hellesponti.

V. 43. *pandi . . . delphines*, quia tergum habent curvum.

V. 46. *obsesso*, glacie tecto.

V. 47. *marmore*, æquore, quia superficies maris splendet; cf. Hom. Il. 14, 273: ἅλα μαρμαρέην.

V. 52. *redundatas flumine*, fluviales. — *redundatas*, poetice pro *redundantes*, ut Ov. Fast. VI. 402. — *flumine*, in flumine.

V. 53—54. *æquato siccis aquilonibus Histro Invehitur celeri barbarus hostis equo*, cf. Flor. 2, 28: «Daci montibus inhærent; inde Cotisonis regis imperio, quotiens concretus gelu Danuvius iunxerat ripas, decurrere solebant et vicina populari». — *æquato*, tamquam in campum æquum mutato.

V. 64. *Nam volucri ferro tinctile virus inest*, cf. Ep. ex Pont. I. 2, 17: «Qui, mortis sævo geminent ut vulnere causas, Omnia vipereo spicula felle linunt».

V. 70. *iners*, inculta; iunge cum *relicta*. — *rigido*, quia terra inculta dura manet.

V. 71—72. *Non hic . . . uva*, cf. Ep. ex Pont. III. 1, 13. (de Tomis): «Nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas». — *lacus*, receptaculum terræ infossum, ubi mustum expressum servabatur, antequam in dolia inderetur.

V. 73. *Poma negat regio*, cf. Ep. ex Pont. III. 1, 19: «Rara, neque hæc felix, in apertis eminet arvis Arbor». — *Acontius*, qui Cydippen amabat. Ut eam sibi nubere cogeret, malo pulcherrimo hæc verba inscripsit: μὰ τὴν Ἄρτεμιν Ἀκόντιον γαμοῦμαι. Hoc malum obiecit Cydippæ templum Dianæ Delium visitanti, Cydippe autem malum tollens et inscriptionem tamquam coram dea perlegens iureiurando inscia se obstrinxit, ut Acontii uxor fieret. Cf. Ov. A. A. I. 457: «Littera Cydippen pomo perlata fe-

fellit Insciaque est verbis capta puella suis». Totam fabulam vide Ov. Her. 20. et 21.

Lib. III. eleg. 11.

In inimicum.

Scripta est hæc elegia versimiliter in eundem inimicum, de quo supra I. 6, 13—14. (ubi cf. adn.) agitur, in quem infra IV. 9. et V. 8., denique *Ibin* scripsit.

V. 2. *Meque reum dempto fine cruentus agas*, videtur hic inimicus accusasse Ovidium eo consilio, ut relegatio eius in exilium mutaretur atque ipse partem bonorum publicatorum acciperet, delatoris præmium; cf. adn. supra ad I. 6, 13—14. et I. 7, 8; Ov. Ib. 14: «Iactat et in toto nomina nostro foro» et 18: «Naufragii tabulas pugnat habere mei» et 21: «Nititur, ut profugæ desint alimenta senectæ».

V. 3—4. *Natus es e scopulis*, cf. supra V. 8, 39. — *nutritus lacte ferino*, cf. adn. supra ad I. 8, 43—44. — *silices pectus habere tuum*. cf. adn. ad I. 8, 41.

V. 8. *Cumque suo borea Mænalis ursa*. intellege partem septentrionalem cæli, ubi est sidus Ursæ maioris. — *Mænalis ursa*, Arcadia; est enim Mænalus mons Arcadiæ. Cf. supra adn. ad I. 3, 48.

V. 13. *belligeris a gentibus undique sæptus*. cf. supra III. 10. 5.

V. 16. *pignoribusque meis*, hominibus, qui mihi cari fuerunt; cf. adn. supra ad I. 3, 60.

V. 17. *nudam*, solam.

V. 19—20. *qui vulnera cruda retractet, Solvat et in mores ora diserta meos*, cf. Ov. Ib. 13: «Vulneraque immitis requiem quærentia vexat Iactat et in toto nomina nostra foro». — *cruda*, cruenta, nondum sanata.

V. 23. *arces*, supple *stantes* ex *stantia mœnia*.

V. 25. *inanem . . . umbram*, tamquam animam mortui.

V. 28. *Vinctus ad Hæmonios non erat Hector equos*, cum corpus eius currui Achillis alligatum traheretur; cf. Ov. Amor. II. 1, 32: «Raptus et Hæmoniis flebilis Hector equis». — *Hæmonios*. Thessalicos; erat enim patria Achillis Phthia in Thessalia.

V. 30. *simulacra*, tamquam imago mortui apud inferos.

V. 34. *errorem . . . scelus*, cf. adn. supra ad I. 2, 99. et Cic. pro Ligar. 17: «Scelus tu illud vocas . . . alii errorem»; Cic. pro Marcell. 13: «etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, scelere certe liberati sumus». — *scelus*, cf. adn. supra ad I. 2, 98.

V. 39—40. *Busiride*, cf. Apollod. III. 116: *μετὰ Λιβύην δὲ Αἴγυπτον διεξῄει (Ἡρακλῆς). Ταύτης ἐβασίλευε Βούσιρις Ποσειδῶνος παῖς καὶ Λυσιανάσσης τῆς Ἐπάφου. Οὗτος τοὺς ξένους ἔθυεν ἐπὶ βωμῷ Διός.* — *Qui falsum lento torruit igne bovem*, Phalaris, tyrannus Agrigentinus in Sicilia, cui Perillus taurum aeneum vacuum dedit ad homines vivos igne subiecto torrendos.

V. 41—42. *Quique bovem Siculo fertur donasse tyranno*, Perillus. — *conciliasse*, commendasse.

V. 47. *lentis*, lente ardentibus.

V. 51—52. *Ipse tuum . . . imbue . . . opus*, cf. Ov. A. A. I. 653: «Et Phalaris tauro violenti membra Perilli Torruit: infelix imbuit auctor opus». — *imbue*, tamquam consecra, inaugura; cf. Propert. IV. 10, 5: «Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ» et Catull. 64, 11: «Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten».

V. 54. *geminos . . . sonos*, i. e. hominis et bovis.

V. 55. *Scythiamque*, cf. adn. ad III. 4, 46. — *Getasque*, cf. adn. ad III. 3, 6.

V. 59. *tellure*, cf. adn. ad III. 2, 7.

V. 62. *Neptuni . . . Iovis*, cf. adn. ad. I. 5, 78.

V. 63. *rescindere*, renovare.

V. 66. *Facta cicatricem ducere*, ut oblivione, tamquam vulnus cicatrice, tegantur.

V. 68. *incertas . . . vices*, sc. fortunæ.

Lib. III. eleg. 12.

De vere Tomitano.

Scripta est hæc elegia vere anni 10. p. Chr. n.

V. 1—2. *Frigora iam Zephyri minuunt*, cf. Hor. Carm. I. 4, 1: «Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni» et IV. 7, 9: «Frigora mitescunt Zephyris». — *longior antiquis visa . . . hiems*, i. e. quæ mihi longior visa est hiemibus prioribus Romæ peractis; cf.

adn. ad III. 7, 34. et infra V. 10, 3: «At mihi iam videor patria procul esse tot annis, Dardana quot Grais Troia sub hoste fuit. Stare putes, adeo procedunt tempora tarde Et peragit lentis passibus annus iter». — *Mæotis hiems*, hiems Scythica, quia Tomi erant Scythiæ vicini; cf. Propert. II. 3, 11: «Mæotica nix». Mæotæ (*Μαιῶται*) erant populus Scythicus ad paludem Mæotidem teste Plin. IV. 88. — *Mæotis*, diphthongus *æ* ante vocalem correptus, ut Verg. Aen. VII. 524: «Stipitibus duris agitur sudibusve *præustis*». Alii hanc vocem corruptam esse censent atque sic emendant: *Tomitis*.

V. 3—4. *Impositamque sibi qui non bene pertulit Hellen*, Aries, qui olim Hellen et Phrixum per Hellespontum vexit, inter sidera relatus. — *non bene pertulit Hellen*, cf. adn. supra ad I. 10, 27. — *Tempora nocturnis æqua diurna facit*, tempore æquinoctii verni sol in signo Arietis est.

V. 7—8. *pubescunt*, vestiuntur, ut pueri pubescentes pilis; cf. Lucret. V. 661: «impubem molli pubescere veste Et pariter mollem malis demittere barbam». — *vernat*, cantum vernum incipit.

V. 9. *malæ matris crimen*, cogitandum de Procne in hirundinem versa, cf. adn. ad II. 389.

V. 11. *Herbaque*, sc. herba frumenti. — *Cerealibus . . . sulcis*, in agris frumento insitis.

V. 14. *a Getico litore vitis abest*, cf. supra I. 10, 71.

V. 15—16. *turgescit*, sc. gemmis. — *arbor abest*, cf. supra I. 10, 75.

V. 17—18. *istic*, sc. Romæ; cf. adn. ad III. 3, 25. — *iunctisque ex ordine ludis*, vere multi ludi publici celebrabantur Romæ, præcipue Quinquatrus, Megalesia et Floralia. — *Cedunt verbosi garrula bella fori*, festis diebus cessabant lites in foro; erat enim iustitium. Cf. infra IV. 10, 18: «verbosi natus ad arma fori».

V. 19. *Usus equi nunc est* etc., vss. 19—22. agitur de ludis in Campo Martio. — *equi*, iuvenes Romani exercitia equestria celebrabant in Campo Martio: cf. Hor. Carm. III. 7, 25: «Quamvis non alius flectere equum sciens Aeque conspicitur gramine Martio». — *levibus nunc luditur armis*, cogitandum de oblectamento iuvenum Romanorum, qui rudibus gladiatoriis, i. e. gladiis ligneis exercitationis causa pugnabant.

V. 21—22. *perfusa est oleo labente*, quod faciebant luctatores. — *Virgine . . . aqua*, aquæductus Romæ celeberrimus per Campum Martium fluens; cf. Ov. Fast. I. 464: «ubi virginea Campus obitur aqua» et Frontin. De aquæd. I. 10: «Virgo appellata est, quod quærentibus aquam militibus virguncula venas quasdam monstravit, quas secuti qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt. Aedicula fonti adposita hanc originem pictura ostendit».

V. 23—24. *studiisque favor distantibus*, nam spectatores alii aliis artificibus scænicis favent. — *Proque tribus . . . foris*, forum Romanum, Cæsaris (sive Iulium), Augusti, ubi hoc tempore (cf. adn. supra ad vs. 18.) iustitium est. — *terna theatra*, theatrum Pompei (erectum a. 55. a Chr.), Marcelli (11. a. Chr.), Cornelii Balbi.

V. 25. *O quater . . . beatum*, cf. Verg. Aen. I. 94: «terque quaterque beati».

V. 28. *Quæque lacu duro non fodiuntur aquæ*, cf. supra III. 10, 26.

V. 29—30. *per Histrum . . . plaustra*, cf. supra III. 10, 33—34.

V. 31. *tamen*, quamquam Tomi non habent portum navibus frequentem.

V. 36. *ararit aquas*, ut supra I. 2, 76: «æquor aro».

V. 37—38. *ab Italia tantum mare*, quia Tomi longissime distant ab Italia. — *litŏra . . . portubus orba*, Pontus Euxinus paucos habebat portus bonos; cf. infra IV. 4, 58.

V. 40. *certe gratior huius erit*, supple: vox; erit profecto gratior et iucundior vox Latini hominis, quam Græci.

V. 41—42. *Fas*, fieri potest, ut. — *ab ore freti*, a Bosporo Thracio, ubi est os Ponti Euxini. — *noto*, austro, quia hoc vento opus est illis, qui a Bosporo septentriones versus navigant.

V. 45—46. *auditos . . . triumphos Cæsaris*, Tiberius, quem Ovidius scivit in Germaniam esse profectum, ut cladem Quintilii Vari Teutoburgiensem (a. p. Chr. n. 9. acceptam) ulcisceretur. — *Latio reddita vota Iovi*, triumphator post triumphum sacrificare solebat Iovi Capitolino.

V. 49. *quæ non vidisse*, sc. triumphum vs. 45. commemoratum.

V. 51—52. *Scythico . . . in orbe*, cf. adn. ad III. 4, 46. — *pro lare*, i. e. pro domo stativa.

V. 53. *Cæsar*, Augustus. — *penetrale*, pars domus interior, ubi sunt penates.

Lib. III. eleg. 13.

In natalem suum.

Scripsit poeta hanc elegiam in natalem suum die 20. Martii (cf. infra IV. 10, 13—14.) a. 10. p. Chr. n. celebratum.

V. 2. *Natalis*, dies natalis.

V. 4. *modum*, finem.

V. 7. *male cognitus*, in calamitatem meam.

V. 14. *vestis . . . alba*, festis diebus alba veste utebantur antiqui.

V. 15. *cingatur florentibus ara coronis*, cf. infra V. 5. 9—10. (de natali uxoris): «Araque gramineo viridis de caespite fiat Et velet tepidos nexa corona focos». — *Micaque . . . turis*, cf. infra V. 5. 11. (de natali uxoris): «Da mihi tura, puer, pingues facientia flammas».

V. 17—18. *Libaque*, die natali veteres tus, vinum et libum sacrificabant Genio suo; cf. Serv. ad Verg. Aen. VII. 109: «liba sunt placentæ de farre, melle et oleo sacris apta». — *genitale . . . tempus*, diem natalem. — *bonas . . . preces*, quibus bona sibi precetur. — *ore favente*, tacente; sollemnis formula erat in sacris: «favete linguis», Græce: εὐφημεῖτε, i. e. sit silentium et quisque parcat verbis male ominatis, ne sacra turbentur.

V. 19. *Non ita*, non eo loco; est enim in exilio.

V. 21. *Funeris ara*, rogus. — *ferali cincta cupresso*, rogum mortui cupressis cingere solebant antiqui.

V. 24. *bona verba*, festo die et præcipue die natali non nisi boni ominis verba sunt pronuntianda; cf. Tibull. II. 2, 1: «Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras» et Ov. Trist. V. 5, 5. (de natali uxoris): «Lingua favens adsit, nostrorum oblita malorum, Quæ puto dedidicit iam bona verba loqui».

V. 25. *hac luce*, die.

V. 28. *Euxinus falso nomine dictus*, Pontum Græci primum ἄξεινον (inhospitalem) nominabant, deinde, postquam in litoribus eius multæ coloniæ conditæ sunt, εὔξεινον, i. e. hospita-

lem. Cf. infra IV. 9, 55: «Frigida me cohibent Euxini litora Ponti: Dictus ab antiquis Axenus ille fuit. Nam neque iactantur moderatis aequora ventis Nec placidos portus hospita navis adit».

Lib. III. eleg. 14.

Ad amicum, poetarum cultorem.

V. 1. *antistes doctorum sancte virorum*, qui sancto quodam animi affectu poetas colit; cf. Propert. II. 26, 26. (de Cynthia): «Carmina tam sancte nulla puella colit». — *doctorum . . . virorum*, poetarum.

V. 3. *incolumem*, impunitum, nondum exulantem.

V. 5—6. *Suscipis . . . mea carmina*, suscipis patrocinium meorum carminum; cf. infra V. 6, 3: «Tu quoque suscepti curam dimittis ámici». — *Artibus*, Arte Amatoria.

V. 7. *vatum . . . novorum*, qui nunc vivunt.

V. 13. *Palladis exemplo de me sine matre creata*, cf. Fast. III. 841: «quia de capitis fertur sine matre paterni (s. Iovis) Vertice cum clipeo prosiluisse suo».

V. 17. *Tres mihi sunt nati contagia nostra secuti*, omnia Ovidii opera ex bibliothecis publicis removebantur (cf. adn. supra ad III. 1, 67.), trium autem Artis Amatoriæ librorum etiam privata possessio ab Augusto interdicta fuisse videtur; cf. Ep. ex Pont. I. 1, 11. (ad Brutum de Epistulis ex Ponto): «Quæris, ubi (i. e. in quo bibliothecæ tuæ loco) hos (sc. libros) possis nullo componere læso? Qua steterant Artes, pars vacat illa tibi».

V. 19—20. *mutatæ . . . formæ*, Metamorphoses; cf. supra I. 7, 13—30. — *domini funere rapta sui*, cf. supra adn. ad I. 1, 118. et I. 7, 38.

V. 22. *Certius*, clarius. — *a summa . . . manu*, cf. adn. supra ad I. 7, 28.

V. 24. *quicquam . . . mei*, opus quoddam meum.

V. 25. *Hoc . . . nescio quid*, hoc opus non ita magni pretii, sc. hunc tertium Tristium librum.

V. 32. *Ducere*, cf. adn. supra ad I. 1, 39.

V. 34. *vena*, cf. adn. ad III. 7, 16.

V. 35. *exercente*, colente, curante; ut agri dicuntur coli atque exerceri.

V. 37. *inviter*, sc. ad scribendum.

V. 41—42. *Nec, quo secedam, locus est*, poeta in solitudinem secedere non potest, sed propter infestas Getarum incursiones in oppido Tomorum muris cincto remanere cogitur. — *Getas*, qui sæpe infestabant oppida Moesiæ; cf. adn. ad III. 3, 6.

V. 48. *Et videor Geticis scribere posse modis*, postea, postquam Getice loqui didicit, revera scripsit carmen Geticum de morte Augusti; cf. Ep. ex Pont. IV. 13, 19: «A! pudet, et Getico scripsi sermone libellum Structaque sunt nostris barbara verba modis . . . Materiam quæris? laudes de Cæsare dixi: Adiuta est novitas numine nostra dei. Nam patris Augusti docui mortale fuisse Corpus, in ætherias numen abisse domos». — *modis*, versibus.

AD LIBRUM QUARTUM.

Lib. IV. eleg. 1.

Præfatio.

Quartus Tristium liber confectus esse videtur vere anni p. Chr. n. 11.

V. 2. *suo tempore*, cf. I. 1, 37—38.

V. 3. *requiesque*, recreatio.

V. 5—6. *vinctus . . . compede fossor*, alludit ad servos ex familia rustica, qui in agris opus faciebant plerumque vincti; cf. Tibull. II. 6, 25—26: «Spes etiam valida solatur compede vinctum: Crura sonant ferro, sed canit inter opus». — *numero*, cantu. — *mollit*, levat.

V. 7. *innitens limosæ pronus harenæ*, sc. in ripa fluminis ratem trahens.

V. 10. *In numerum*, rhythmice; iunge cum *versat*.

V. 12. *arundineo carmine*, intellegendum de fistula arundinea. — *mulcet*, delectat.

V. 13. *trahentis*, nentis.

V. 15—16. *abducta Lyrneside*, Briseide, quam Agamemnon abduxit; Lyrnesus erat oppidum in Troade, patria Briseidis. — *Hæmonia*, Thessalica; cf. adn. supra ad III. 11, 28. — *curas attenuasse lyra*, ut Hom. Il. IX. 186. narrat.

V. 17—18. *Orpheus . . . bis amissa coniuge*, Orpheus bis amisit Eurydicen: primum, cum mortua est, deinde, cum eam ab inferis reducens contra iussa Plutonis oculos ad eam reflexit.

V. 21. *Thracia tela*, cf. adn. ad I. 1, 43—44.

V. 23—24. *error*, cf. adn. ad I. 2, 99. — *culpam . . . non scelus*, cf. adn. ad I. 2, 98.

V. 26. *mecum iuncti criminis*, communis criminis, i. e. Artis Amatoriæ.

V. 28. *Pieridum*, cf. adn. ad III. 2, 3. — *sacris*, cf. adn. ad III. 7, 32.

V. 31—32. *nova*, ignota. — *Dulichio . . . palato*, comitibus Ulixis; cf. adn. ad I. 5, 60.

V. 41—42. *Bacche*, femina bacchans. — *stupet Edonis . . . iugis*, ex Hor. Carm. II. 25, 8: «Non secus in iugis Edonis stupet Euhias». — *Edonis . . . iugis*, in montibus Thraciæ, ubi maxime vigebat Bacchi cultus; Edoni erant populus Thracius. — *exululata*, sensu activo: exululans, i. e. Bacchi nomen clamans.

V. 43—44. *mota calent viridi mea pectora thyrso*, Bacchus thyrso suo percutit poetas, quibus sacrum furorem inicere vult; cf. Ov. Amor. III. 1, 23: «thyrso pulsum graviore moveri» et ibid. III. 15, 17: «Corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus» et Lucret. I. 922: «sed acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor». — *spiritus*, sc. poeticus; cf. Hor. Carm. II. 16, 37: «mihi . . . Spiritum Graiæ tenuem Camenæ Parca non mendax dedit».

V. 45. *Scythici . . . ponti*, Euxini; cf. adn. ad III. 4, 46.

V. 47. *soporiferæ biberem si pocula Lethes*, cf. Ep. ex Pont. II. 4, 23: «si biberes securæ pocula Lethes». Lethe, fluvius Orci; cf. Verg. Aen. VI. 713: «animæ . . . Lethaei ad fluminis undam Securos latices et longa oblivia potant».

V. 50. *Helicone*, mons Musarum in Bœotia.

V. 53. *hæc*, nom. plur. femin. pro: *hæ*, sc. Musæ.

V. 57—58. *æstu*, æstate. — *frigoribus*, hieme.

V. 60. *Euxini litora læva*, cf. adn. ad I. 2, 83.

V. 63—64. *natalis stamina nostri*, quæ mihi nascenti Parcæ neverunt. — *Stamina de nigro vellere*, i. e. fatum infelix; cf. infra V. 13, 24: «Non ita sunt fati stamina nigra mei» et Ep. ex Pont. II. 4, 30: «Non ita pars fati candida nulla mei».

V. 65. *capitisque pericula*, cf. adn. ad I. 1, 43—44.

V. 67. *Bessosque*, cf. adn. ad III. 10, 5. — *Getasque*, cf. adn. ad III. 3, 6.

V. 69. *porta vitam muroque tueri*, cf. adn. ad III. 14, 41—42.

V. 72. *lusura movimus arma manu*, cf. adn. ad III. 12, 19.

V. 74. *Canitiem galea subiectoque meam,* cf. Verg. Aen. IX. 609: «Canitiem galea premimus».

V. 77. *imbutaque tela venenis,* cf. supra III. 10, 64.

V. 81. *sæpe,* abl. vocis *sæpes;* tamquam ovile.

V. 86. *fati tempora lenta mei,* vitæ tempora longa meæ; i. e. debebam ante exilium mori neque tam diu vivere.

V. 87—88. *ad numeros,* ad poemata. — *sacra,* sc. Musarum; cf. adn. supra ad III. 7, 32. — *hospita Musa,* quæ hospita, non incola est Tomis.

V. 89. *cui recitem,* cf. III. 14, 39—40.

V. 92. *Tutaque iudicio littera nostra suo est,* i. e. opus meum suo iudicio non damnatur.

V. 94. *Sauromatæ,* cf. adn. ad II. 198. — *Getæque,* cf. adn. ad III. 3, 6.

V. 99. *qui sim fuerimque,* cf. supra III. 8, 38.

V. 106. *consule . . . boni,* accipias benevolenter.

Lib. IV. eleg. 2.

Poeta prædicit triumphum Tiberii de Germania.

Post cladem Quintilii Vari Teutoburgiensem (a. p. Chr. n. 9.) Tiberius ab Augusto in Germaniam missus est ad seditionem debellandam, ubi an. 10—12. pugnavit. Romam reversus mense Ianuario an. 13. triumphum quidem egit, at non de Germania, quam subigere non potuit, sed de Pannonia et Dalmatia an. p. Chr. n. 6—9. subactis, quem triumphum propter cladem illam Vari distulerat.

V. 1. *Cæsaribus,* Augusto et Tiberio.

V. 3—4. *Palatia,* domus Augusti in monte Palatino; cf. supra III. 1, 34. — *Turaque in igne sonent,* quod erat bonum omen. — *inficiantque diem,* obscurent; cf. Ov. Metam. XIII. 600: «nigrique volumina fumi Infecere diem, veluti cum flumina natas Exhalant nebulas nec sol admittitur infra».

V. 5—6. *Candidaque . . . victima,* Iovi tauri albi solebant sacrificari; agitur enim de victima a triumphatore Iovi Capitolino sacrificanda.

V. 8. *Cæsar uterque,* Augustus et Tiberius.

V. 9. *Cæsareo iuvenes sub nomine,* Germanicus, filius Drusi maioris, fratris Tiberii, a Tiberio a. p. Chr. n. 4. adoptatus, et Drusus minor, filius Tiberii.

V. 11. *Cumque bonis nuribus,* nurus duæ Tiberii: Agrippina, neptis Augusti, filia Agrippæ et Iuliæ maioris, uxor Germanici, et Livia minor, filia Drusi maioris, uxor Drusi minoris. — *Livia,* Livia maior, uxor Augusti, mater Tiberii.

V. 13—14. *quæ . . . castos Perpetua servant virginitate focos,* virgines Vestales. — *castos . . . focos,* ignem æternum in æde Vestæ.

V. 16. *eques,* collective dictum: ordo equester; cf. adn. ad II. 112.

V. 20. *Cumque ducum titulis oppida capta leget,* in triumpho portabantur simulacra oppidorum captorum inscriptionibus ornata, quibus nomina ducum et oppidorum ab iis expugnatorum indicabantur: cf. Propert. II. 4. 16: «titulis oppida capta legam» et Ov. Ep. ex Pont. II. 1. 49—50: «Pertulit hic idem nobis, Germanice, rumor Oppida sub titulo nominis isse tui».

V. 21—22. *Vinclaque* etc., reges et duces capti ibant ante currum triumphatoris coronatis equis vectum.

V. 23—24. *versos,* mutatos. — *sui,* sortis suæ.

V. 25. *Quorum,* sc. spectatorum. — *causas,* sc. belli. — *res,* pugnas. — *nomina,* ducum et oppidorum captorum.

V. 27. *Sidonio,* Phœnicio; erat enim Sidon urbs Phœniciæ.

V. 32. *consilium,* consiliator.

V. 33—34. *nostros inclusit fraude locorum,* quod accidit Romanis in saltu Teutoburgiensi: cf. Vell. Pat. II. 119: «Exercitus omnium fortissimus . . . inclusus silvis, paludibus, insidiis ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidaverat». — *Squalida . . . ora,* horrida propter barbam intonsam atque impexam; captivi enim, sicut lugentes, barbam capillosque curare non solebant. — *promissis . . . comis,* Germani longos gerebant capillos.

V. 35—36. *Illo . . . mactata ministro . . . Corpora capta,* sacerdos quidam Germanus, qui captos hostes diis immolare solebat. Hoc re vera factum esse post cladem Romanorum Teutoburgien-

sem testatur Tac. Ann. I. 61: «Lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant». — *recusanti . . . deo*, poeta igitur victima humana ne barbarorum quidem deos delectari putat.

V. 37. *lacus . . . montes . . . . castella . . . amnes*, simulacra lacuum, montium, castellorum et amnium in triumpho portata.

V. 39—40. *Drusus*, Drusus maior, filius Liviæ, privignus Augusti, qui a. a. Chr. n. 12—9. in Germania pugnans cognomen Germanici meruit, unde filius quoque eius dictus est Cæsar Germanicus. — *digna parente*, matre Livia. — *fuit*, mortuus est enim e Germania rediens a. 9. a. Chr. n.

V. 41—42. *Cornibus . . . fractis . . . Rhenus*, deus fluvii Rheni; fluviorum enim deos cornibus plerumque ornabant veteres. Cf. Verg. Aen. VIII. 727: «Rhenusque bicornis». — *male tectus*, non bene occultatus. Cogitandum de deo fluminis, qui in imagine in triumpho portata conspiciebatur in ulva Rheni latens. — *Decolor*, i. e. amisit colorem proprium. — *suo sanguine*, sanguine accolarum et tamquam alumnorum suorum.

V. 43—44. *Crinibus . . . passis*, quod erat signum luctus. — *Germania*, Germania forma mulieris lugentis personificata. — *ducis*, Tiberii.

V. 45. *Collaque Romanæ præbens . . . securi*, captivi enim post triumphum in carcerem ducti necabantur.

V. 47—48. *Cæsar*, Tiberius. — *Purpureus*, in toga purpurea triumphatoris. — *populi . . . per ora*, ante ora, in conspectu populi.

V. 50. *iactato flore tegente vias*, cf. Ep. ex Pont. II. 1, 35. (de triumpho): «Quaque ierit, felix adiectum plausibus omen, Saxaque roratis erubuisse rosis».

V. 51—52. *Tempora Phœbea lauro cingetur . . . miles*, non solum triumphator, sed etiam milites lauros gerebant in capitibus; cf. Paul. Fest. s. v. *laureati* (p. 84. ed. Thewrewk): «Laureati milites sequebantur currum triumphantis» et Tibull. II. 5, 117: «lauro devinctus agresti Miles «Io» magna voce «Triumphe» canet». — *Phœbea*, Phœbo sacra.

V. 53—54. *plausuque . . . cernes sæpe resistere equos*, cf. Propert. II. 4, 13—14: «videam spoliis oneratos Cæsaris axes, Ad vulgi plausus sæpe resistere equos».

V. 55—56. *petes arcem,* Capitolium. — *dabitur . . . laurea vota Iovi,* triumphator coronam suam lauream deposuit in æde Iovis Capitolini.

V. 58. *ius habet illa loci,* i. e. mens mea aditum habet ad locum.

V. 63. *currus . . . eburnos,* i. e. currum triumphalem ebore ornatum.

V. 68. *fructus,* voluptas.

V. 71. *serum referet veteremque triumphum,* cf. Ep. ex Pont. III. 4, 59: «Dum venit huc (sc. Tomos) rumor properataque carmina fiunt Factaque eunt ad vos, annus abisse potest» et IV. 11, 15: «Dum tua pervenit (sc. Tomos), dum littera nostra recurrens Tot maria ac terras permeat, annus abit».

V. 73. *mea . . . lugubria,* vestem lugubrem, qua utebantur exules.

Lib. IV. eleg. 3.

Ad uxorem.

V. 1—2. *Magna minorque feræ,* sidera Ursæ maioris et minoris. — *quarum regis altera Graias, Altera Sidonias . . . rates,* Ursa maior sive Helice erat dux navium Græcarum, Ursa minor sive Cynosura Phœniciarum; cf. Ov. Fast. III. 107: «Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur Sidoniis, Helicen Graia carina notet». — *Sidonias,* Phœnicias; cf. adn. supra ad IV. 2, 27. — *utraque sicca,* quia neutra unquam occidit, neutra mergitur Oceano; cf. supra adn. ad I. 2, 29.

V. 3—4. *axe,* cælo; axis cæli pro cælo toto. — *occiduas,* occidentales.

V. 5—6. *Aetheriamque . . . arcem,* cælum. — *Vester . . . circulus,* circulus ille, quem in cælo percurritis; cf. Cic. De rep. 6, 15: «stellæ circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili».

V. 7—8. *non bene,* in exitium suum. — *Iliades,* Iliæ sive Rheæ Silviæ filius.

V. 12. *iacet,* afflicta est.

V. 14. *De fide certa,* sc. uxoris erga te. — *certa fides,* certa persuasio.

V. 15. *polo,* cælo; polus cæli pro cælo toto. — *flammæ,* stellæ.

V. 23. *te,* mentem tuam. — *locusque,* sc. locus meus in lecto.

V. 29—30. *Thebana*, Andromache, Hectoris uxor, cuius patria erat Thebe in Mysia. — *Hectora Thessalico . . . ab axe rapi*, cf. adn. ad III. 11, 28.

V. 36. *a nostris . . . malis*, propter nostra mala.

V. 38. *egeriturque*, tamquam exhauritur.

V. 40. *Spiritus hic per te patrias exisset in auras*, tu excepisses ore tuo extremum spiritum meum: quod erat apud antiquos pium officium. Cf. Verg. Aen. IV. 684. (Anna de Didone moriente): «extremus si quis super halitus errat, Ore legam».

V. 44. *Texissent digiti lumina nostra tui*, cf. supra III. 3. 44: «Labentes oculos condet amica manus».

V. 58. *veris*, sc. dotibus.

V. 62. *hinc*, sc. ex eo, quod mihi nupta es.

V. 63—64. *cecidit Capaneus subito . . . ictu*, Capaneus, unus ex septem ducibus Thebas oppugnantibus, de quo Apollod. III. 73: *Καπανεὺς ἁρπάσας κλίμακα ἐπὶ τὰ τείχη δι' αὐτῆς ἀνῄει, καὶ Ζεὺς αὐτὸν κεραυνοῖ.* — *ictu*, sc. fulminis. — *Euadnen*, uxor Capanei, de qua Apollod. III. 79: *τῆς Καπανέως δὲ καιομένης πυρᾶς Εὐάδνη ἡ Καπανέως μὲν γύνη, θυγάτηρ δὲ Ἴφιος, ἑαυτὴν ἐμβαλοῦσα συγκατεκαίετο.*

V. 65. *rex mundi compescuit ignibus ignes*, i. e. Iuppiter fulmine deiecit Phaethontem, qui curru Solis male recto terras pæne combussit; cf. adn. supra ad I. 1, 79.

V. 67—68. *Semele Cadmo*, Semele, filia Cadmi, regis Thebani. — *Quod precibus periit ambitiosa suis*, Semele, a Iove amata, oravit Iovem, ut insignibus divinitatis ornatus ad se veniret, quod cum impetrasset, icta est fulmine, quod Iuppiter dextra tenuit.

V. 69. *Iovis ignibus ictus*, Augusti ira afflictus; cf. supra I. 1, 70—72.

V. 73—74. *Materiamque*, propositum, officium. — *Ardua . . . gloria*, erecta, erecto statu; cf. infra V. 14, 32.

V. 77—78. *Tiphy*, Tiphys erat gubernator Argonautarum. — *ars tua, Phœbe*, medicina.

V. 81—82. *tituli*, gloriæ; cf. adn. supra ad I. 1, 53. — *Conspicuum . . . tollat*, ita, ut ab omnibus conspiciatur.

V. 83—84. *facta est . . . in laudes area magna tuas*, parata est tibi area magna ad gloriam. Imago ab area circi ducta; cf. supra

vs. 76: «Publica virtutis per mala *facta* via est» et infra V. 14, 23 (ad uxorem): «Area de nostra nunc est tibi *facta* ruina» et Ov. Amor. III. 1, 26: «Hæc animo, dices, area *facta* meo est». — *facta*, ex mea coniectura; cf. supra præf. crit. — *Et patet in laudes area magna tuas*, cf. Ov. Her. I. 72: «Et patet in curas area lata meas».

Lib. IV. eleg. 4.

Ad Messalinum.

Scripta est hæc epistula ad Messalinum, filium maiorem M. Valerii Messallæ Corvini, celeberrimi illius poetarum fautoris: cf. infra adn. ad vs. 5. et 27—32. Ad eundem missæ sunt Ep. ex Pont. I. 7. et II. 2.

V. 3—4. *candoris*, bonitatis. — *nervis*, viribus.

V. 5—6. *Cuius in ingenio est patriæ facundia linguæ*, Messalinus heres esse putabatur eloquentiæ patris, Messallæ: cf. Tac. Ann. III. 34: «Valerius Messalinus, cui parens Messalla ineratque imago paternæ facundiæ». — *Qua prior in Latio non fuit ulla foro*, erat Messalla orator Augusti tempore clarissimus: cf. Quintil. X. 1, 113: «Messalla nitidus et candidus et quodam modo præferens in dicendo nobilitatem suam».

V. 13—14. *pater patriæ*, Augustus; cf. adn. supra ad II. 39. — *civilius*, clementius; cf. supra III. 8, 41. — *Sustinet*, patitur.

V. 20. *aspicitur*, Augustus. — *creditur*, Iuppiter; cf. Hor. Carm. III. 5, 1—3: «Cælo tonantem credidimus Iovem Regnare: præsens divus habebitur Augustus».

V. 21. *Ut*, concessivum. — *crimen habebo*, suscipiam, non recusabo.

V. 24. *Incolumis*, nondum relegatus.

V. 25—26. *ne sim tibi crimen amicus*, ne tibi vitio vertatur amicitia mea. — *auctor*, pater.

V. 27—28. *Nam tuus est primis cultus mihi semper ab annis . . . pater*, Ovidius inde ab ineunte ætate domum Messallæ colebat et frequentabat; cf. Ep. ex Pont. II. 2, 1. (ad Messalinum): «Ille domus vestræ primis venerator ab annis . . . Naso» et ibid. 99: «pater ille tuus primo mihi cultus ab ævo»; ibid. II. 3, 73. (ad

Cottam Maximum, Messallæ filium minorem): «cum vestra domus teneris mihi semper ab annis Culta sit».

V. 29. *Ingeniumque meum . . . probabat,* cf. Ep. ex Pont. I. 7, 27. (ad Messalinum): «Nec tuus est genitor nos infitiatus amicos, Hortator studii causaque faxque mei» et ibid. II. 3, 75. (ad Cottam Maximum): «Me tuus ille pater . . . Primus, ut auderem committere carmina famæ, Impulit: ingenii dux fuit ille mei».

V. 31—32. *illo . . . ore,* ea eloquentia. — *referebat,* sententiam dicebat. — *In quo pars magnæ nobilitatis erat,* cf. Ep. ex Pont. II. 3, 75. (ad Cottam Maximum): «tuus ille pater, Latiæ facundia linguæ, Quæ non inferior nobilitate fuit» et Quintil. X. 1, 113: «Messalla . . . quodam modo præferens in dicendo nobilitatem suam».

V. 34. *auctori,* patri. — *sunt data verba,* i. e. deceptus est a me.

V. 37—38. *culpam scelus esse negabis,* cf. adn. supra ad I. 2, 98. — *Si tanti series sit tibi nota mali,* cf. Ep. ex Pont. II. 3, 65. (ad Cottam Maximum): «Ut tamen audita est nostræ tibi cladis origo, Diceris erratis ingemuisse meis».

V. 39. *timor,* cf. Ep. ex Pont. II. 2, 17: «Nil nisi non sapiens possum timidusque vocari». — *error,* cf. adn. supra ad I. 2, 99.

V. 44. *facinus,* cf. adn. supra ad I. 2, 98.

V. 45—46. *deus,* Augustus. — *nec lumen ademptum,* cf. adn. supra ad I. 1, 20. — *lumen,* vita. — *Nec mihi detractas possidet alter opes,* nec mea bona publicata alterique data sunt; cf. supra adn. ad I. 7, 8.

V. 47—48. *vivat modo,* Ovidius salutem ab Augusto ipso sperabat, a Tiberio nihil fere; causam vide infra in Excurs. II. Cf. infra V. 9, 13: «Et patriam, modo sit sospes, speramus ab illo» (sc. ab Augusto). — *Tempore cum fuerit lenior ira,* cf. supra II. 575—576.

V. 49. *hinc alio iubeat discedere,* i. e. alium locum designet relegationi meæ.

V. 51. *Mitius exilium pauloque propinquius oro,* cf. supra II. 577. — *propinquius,* sc. Romæ.

V. 56. *Axenus,* cf. supra adn. ad III. 13, 28.

V. 58. *Nec placidos portus,* cf. adn. ad III. 12, 38.

V. 61—62. *quos audis hominum gaudere cruore,* barbari Anthro-

pophagi, populus fabulosus in Scythia, de quibus cf. Plin. IV. 88. et Gell. N. A. IX. 4, 6: «Scythas illos penitissimos, qui sub ipsis septentrionibus ætatem agunt, corporibus hominum vesci eiusque victus alimento vitam ducere et ἀνθρωποφάγους nominari». — *axe*, cælo; axis cæli pro cælo, ut sæpissime.

V. 63—64. *ubi Taurica dira Cæde pharetratæ spargitur ara deæ*, terra Taurorum in pæninsula, quæ nunc *Krim* vocatur, haud procul a Bosporo Cimmerio, ubi hospites Dianæ immolabantur.

V. 65—66. *non invidiosa nefandis*, quæ non invidemus nefandis hominibus, sed libenter illis concedimus. — *Thoantis*. Thoas erat rex Taurorum, notus ex Iphigenia Taurica Euripidis.

V. 67—68. *pro supposita . . . cerva*, tamquam gratiam referens Dianæ pro cerva in locum suum supposita, qua servata erat Aulide, ne immolaretur. — *virgo Pelopeia*, Iphigenia, cuius pater, Agamemnon, erat filius Atrei, nepos Pelopis. — *qualiacumque*, erant enim barbara.

V. 69—70. *Quo postquam* etc., fabulam de Iphigenia, Oreste et Pylade iterum narrat poeta Ep. ex Pont. III. 2, 43. sqq. — *pius an sceleratus, Orestes*, pius, quia mortem patris ultus est, sceleratus, quia matrem occidit. — *furiis . . . suis*, furore, in quem eum coniecerant Furiæ ob cædem matris.

V. 71. *exemplum veri Phoceus amoris*, Pylades; eadem verba supra I. 5, 21., ubi cf. adn.

V. 74. *geminas ante . . . fores*, sc. templi Dianæ.

V. 78. *vitta*, i. e. Iphigenia cinxit comas infula sacerdotali vittis ornata; cf. Ep. ex Pont. III. 2, 73: «Spargit aqua captos lustrali Graia sacerdos (sc. Iphigenia), Ambiit ut fulvas infula longa comas, Dumque parat sacrum, dum velat tempora vittis».

V. 82. *in meliora*, sc. in Græciam.

V. 85. *funebria sacra*, sc. in Tauris.

V. 88. *deo*, Augusto.

Lib. IV. eleg. 5.

Ad amicum, verisimiliter ad Cottam Maximum.

Scripta est hæc epistula ad filium minorem M. Valerii Messallæ, celeberrimi illius poetarum fautoris, amicum Ovidii intimum, qui

a matris fratre, Aurelio Cotta, adoptatus nomen accepit Aurelii Cottæ Maximi; cf. infra adn. ad vs. 2., 3—4., 5—6., 23—24., 30. et 31. Ad eundem missæ sunt Epist. ex Pont. I. 5, 9. II. 3. 8. III. 2, 5, 8. Ad eundem scriptæ esse videntur infra Trist. V. 6. et 13.

V. 2. *Unica fortunis ara reperta meis,* unica ara, ad quam in calamitate confugere potui supplex; cf. Ep. ex Pont. III. 2, 6. (ad Cottam Maximum): «Tu laceræ remanes ancora sola rati» et Trist. V. 6, 14. (verisimiliter ad Cottam Maximum): «Quæ patuit dextræ, firma sit ara, meæ».

V. 3—4. *Cuius ab alloquiis anima hæc moribunda revixit,* Cotta enim misit poetæ epistulam consolatoriam; cf. Ep. ex Pont. II. 3, 65. (ad Cottam Maximum): «Ut tamen audita est nostræ tibi cladis origo, diceris erratis ingemuisse meis: Tum tua me primum solari littera cœpit» et ibid. vs. 39: «Respicis antiquum lassis in rebus amicum Fomentisque iuvas vulnera nostra tuis». — *vigil . . . flamma,* lucerna ardens; cf. Hor. Carm. III. 8, 14: «vigiles lucernas Perfer in lucem». — *Pallade,* oleo; erat enim olea donum Minervæ Atticis datum.

V. 5—6. *Qui veritus non es portus aperire . . . confugiumque rati,* cf. Ep. ex Pont. III. 2, 6. (ad Cottam Maximum): «Tu laceræ remanes ancora sola rati» et ibid. II. 3, 58: «Vela regis quassæ qualiacumque ratis» et Trist. V. 6, 2. (verisimiliter ad Cottam Maximum): «Qui mihi confugium, qui mihi portus eras». — *Fulmine percussæ,* de ira Augusti; cf. supra I. 1, 72.

V. 7—8. *Cuius . . . censu,* erat enim Cotta Maximus vir nobilis et ditissimus. — *Si Cæsar patrias eripuisset opes,* quod non accidit; cf. supra adn. ad I. 7, 8.

V. 9. *Temporis . . . huius,* sc. condicionis meæ: sum enim relegatus et amicitia mea tibi nocere potest; quare nomen tuum reticere debeo.

V. 13—14. *titulum,* gloriam; cf. adn. ad I. 1, 53. — *conciliare,* commendare.

V. 18. *tui memorem,* grato erga te animo.

V. 19—20. *remis . . . aura,* cf. supra I. 1, 91. — *deo,* Augusto.

V. 22. *Qui mersit,* sc. Augustus. — *Stygia . . . aqua,* cf. adn. ad I. 1, 27. et Epist. ex Pont. II. 3, 44: «A Stygia quantum sors mea distat aqua?»

V. 23—24. *Teque, quod est rarum, præsta constanter ad omne . . . munus amicitiæ*, cf. Ep. ex Pont. II. 3, 5. (ad Cottam Maximum): «Rem facis, afflictum non aversatus amicum, Qua non est ævo rarior ulla tuo».

V. 26. *Sic ope non egeas*, hoc optatum Ovidii non evenit; Cotta enim a patre degeneravit et ob luxum demum egens factus est; cf. Tac. Ann. VI. 7. (de Cotta): «qui nobilis quidem, sed egens ob luxum, per flagitia infamis».

V. 28. *toro*, matrimonio.

V. 29—30. *Diligat et semper socius te sanguinis*, ad fratrem Cottæ, Messalinum pertinet, ad quem epistula præcedens scripta est. — *Quo pius affectu Castora frater amat*, cf. Ep. ex Pont. I. 7, 31. (ad Messalinum): «Adde, quod est frater tanto tibi iunctus amore, Quantus in Atridis *Tyndaridisque fuit*».

V. 33—34. *tæda . . . iugali*, nuptiis; nam nova nupta vesperi ad lumen tædarum deducebatur in domum mariti. — *iuveni . . . tibi*, Ovidius iuvenem nominat Cottam etiam Ep. ex Pont. II. 3, 55: «iuvenis rarissime» et ibid. III. 5, 7: «iuvenis patrii non degener oris».

Lib. IV. eleg. 6.

Poeta exilio se assuescere non posse queritur.

V. 5. *Tempore Pœnorum compescitur ira leonum*, cf. Tibull. I. 4, 17: «Longa dies homini docuit parere leones». — *Pœnorum*, Africorum, ut Verg. Ecl. 5, 27: «Pœnos . . . leones».

V. 7—8. *Inda . . . Belua*, elephas.

V. 9. *Tempus, ut extensis tumeat, facit, uva racemis*, cf. Tibull. I. 4, 19: «Annus in apricis maturat collibus uvas».

V. 12. *tristi . . . sapore*, acerbo.

V. 19—20. *Ut*, ex quo. — *bis frugibus area trita est*, referendum ad æstates anni 9. et 10. p. Chr. — *Dissiluit nudo pressa bis uva pede*, referendum ad autumnos anni 9. et 10. p. Chr. n.

V. 36. *imbre*, tempestate.

V. 40. *accedunt tempora parva malis*, i. e. iam non per longum tempus feram hæc mala, moriar brevi tempore.

V. 41—42. *neque sunt vires*, cf. supra III. 8, 31: «nec viribus adlevor ullis». — *nec qui color esse solebat*, cf. III. 8, 29—31: «Quique

per autumnum percussis frigore primo Est color in foliis, qua nova læsit hiems: Is mea membra tenet». — *Vix habeo tenuem quæ tegat ossa, cutem*, cf. III. 8, 27: «vixque Ossa tegit macies»

V. 43—44. *Corpore sed mens est ægro magis ægra*, cf. III. 8, 33 «Nec melius valeo, quam corpore, mente». — *malique In circum spectu stat sine fine sui*, cf. III. 8, 35—36: «Hæret et ante oculis veluti spectabile corpus, Astat fortunæ forma videnda meæ».

V. 47. *Vulgus . . . Scythicum . . . turba Getarum*, cf. adn. ad I 2, 82. — *bracataque*, cf. supra III. 10, 19: «sutis arcent mala fri gora bracis». Braca autem erat barbarum vestimenti genus; cf infra V. 10, 33, (de Tomitanis): «Hos quoque, qui geniti Grai creduntur ab urbe, Pro patrio cultu Persica braca tegit».

Lib. IV. eleg. 7.

Ad amicum, qui poetæ litteras nondum misit.

V. 1—2. *Bis me sol adiit*, bis mihi sol appropinquavit, i. e. dua æstates (ann. 9. et 10. p. Chr. n.) peractæ sunt. Sol sententia an tiquorum æstate propior est terris; cf. Tibull. IV. 1, 159. (de sole): «Seu propior terris æstivum fertur in orbem». — *Bisqu suum tacto Pisce peregit iter*, duæ hiemes (ann. 9/10. et 10/11. p Chr. n.) sunt peractæ. Sol in signum Piscium intrat medio mens Februario, i. e. sub finem anni veteris Romani, cuius initium Mar tius erat.

V. 7. *chartæ*, epistulæ. — *sua vincula*, filum cera obsignatum quo litteræ colligabantur.

V. 11—12. *Medusæ Gorgonis*, tres filiæ Phorci appellabantu Gorgones, quarum una erat Medusa.

V. 13—14. *Esse canes utero sub virginis*, Scylla virgo, cuius e inguine latrantes canes eminuerunt; cf. Verg. Ecl. 6, 74: «Scyl lam . . . Candida succinctam latrantibus inguina monstris». — *Chimæram, A truce quæ flammis separet angue leam*, cf. Hes. Theog 321: *Τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαί· μία μὲν χαροποῖο λέοντος. Ἡ δ χιμαίρης, ἡ δ' ὄφιος, κρατεροῖο δράκοντος, Πρόσθε λέων ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, Δεινὸν ἀποπνείουσ πυρὸς μένος αἰθομένοιο.*

V. 15—16. *Quadrupedesque hominis cum pectore pectora iunctos*

Centauri. — *Tergeminumque virum*, Geryones, qui tria corpora habebat, ab Hercule interfectus. — *tergeminumque canem*, Cerberus, canis triceps.

V. 17—18. *Sphingaque*. Sphinx monstrum, quod caput pectusque virginis, corpus leonis, habuit. — *Harpyias*, de quibus Verg. Aen. III. 216: «Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris Proluvies uncæque manus». — *serpentipedesque Gigantes*, filii Terræ, hostes deorum, anguinos pedes habebant: cf. Ov. Met. I. 189: «centum quisque parabat Inicere *anguipedum* captivo bracchia cælo». — *Centimanumque Gyan*, unus *Ἑκατογχειρῶν*: cf. Hes. Theog. 147: *Ἄλλοι δ' αὖ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο Τρεῖς παῖδες μεγάλοι τε καὶ ὄβριμοι, οὐκ ὀνομαστοί, Κόττος τε Βριαρεύς τε Γύης θ', ὑπερήφανα τέκνα. Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο.* — *semiboremque virum*, Minotaurus, de quo Ov. A. A. II. 24: «Semibovemque virum semivirumque bovem» et Apollod. III. 9: *οὗτος εἶχε ταύρου πρόσωπον, τὰ δὲ λοιπὰ ἀνδρός.*

V. 22. *freta*, maria.

Lib. IV. eleg. 8.

Poeta de senectute appropinquante queritur.

V. 2. *Inficit et nigras alba senecta comas*, cf. Lygd. 5, 15: «Et nondum cani nigros læsere capillos» et Propert. III. 5, 24: «Sparserit et nigras alba senecta comas».

V. 7—8. *Quæque meæ semper placuerunt otia menti*, cf. infra IV. 10, 39: «Et petere Aoniæ suadebant tuta sorores Otia, iudicio semper amata meo». — *otia . . . Carpere*, otio frui. — *in studiis . . . meis*, sc. poeticis. — *molliter esse*, placide vivere; cf. Catalept. (Pseudoverg.) IX. 17: «Molliter hic viridi patulæ sub tegmine quercus Moeris pastores et Melibœus erant».

V. 9—10. *parvam . . . domum*, cf. supra II. 110—114. — *rura paterna*, in patria poetæ, in terra Pælignorum: cf. Ep. ex Pont. I. 8, 41: «Non meus amissos animus desiderat agros Ruraque Pæligno conspicienda solo».

V. 11—12. *Inque sinu dominæ . . . consenuisse*, cf. Lygd. 3, 7: «Sed tecum ut longæ sociarem gaudia vitæ Inque tuo caderet nostra senecta sinu».

V. 13—14. *Hæc mea . . . ætas,* sc. mea senectus. — *annos po nere,* finire.

V. 16. *Sarmaticis . . . locis,* cf. adn. supra ad I. 2, 82.

V. 17. *In cava ducuntur quassæ navalia puppes,* cf. Ov. Amor II. 9, 21: «Longaque subductam celant navalia pinum».

V. 19—20. *Ne cadat et multas palmas inhonestet adeptus, Lan guidus in pratis gramina carpit equus,* cf. Enni versus apud Cic De senect. 5: «Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vici Olympia, nunc senio confectus quiescit» et Ov. Amor. II. 9, 20 «Mittitur in saltus carcere liber equus». — *multas palmas,* sc. i certamine curruum partas.

V. 21—22. *Miles ubi emeritis non est satis utilis annis, Pon ad antiquos . . . arma lares,* cf. Propert. II. 25, 5: «Miles deposi tis annosus secubat armis . . . Et vetus in templo bellica parm vacat» et Ov. Amor. II. 9, 19: «Fessus in acceptos miles deducitu agros». — *Ponit ad antiquos . . . arma Lares,* more receptum erat ut, qui arti suæ valedixissent, instrumenta artis Laribus donarent

V. 24. *donari iam rude,* cf. Ov. Amor. II. 9, 22: «Tutaque depo sito poscitur ense rudis» et Hor. Ep. I. 1, 2: «Spectatum satis e donatum iam rude». Nam rudem, i. e. gladium ligneum accipie bant a dominis gladiatores emeriti, missionis signum.

V. 25—26. *ducere cœlum,* inhalare aëra. — *Getico fonte,* d aquis Tomitanis cf. adn. ad III. 3, 7. — *Getico,* cf. adn. ad II 3, 6.

V. 27. *vacuos secedere in hortos,* cf. adn. ad I. 11, 37.

V. 33. *Iamque decem lustris . . . peractis,* quinquagesimu egressus annum; poeta enim a. a. Chr. 43. natus relegatus es a. 8. p. Chr.

V. 35. *Nec procul a metis* etc., cf. adn. ad I. 9, 1.

V. 37. *illum,* sc. Augustum.

V. 40. *Nec tamen . . . vita negata,* cf. adn. ad I. 1, 20. — *error* cf. adn. ad I. 2, 99.

V. 41—42. *sub axe boreo,* sub cælo septentrionali, ubi patri est Boreæ sive Aquilonis. — *axe,* cælo; cf. adn. ad IV. 3, 3. — *maris Euxini terra sinistra,* cf. adn. ad I. 2, 83.

V. 43—44. *Delphi,* oraculum Apollinis in Phocide. — *Dodon* oraculum Iovis in Epiro. — *vanus,* mendax.

V. 46. *igne*, fulmine.

V. 49—50. *malorum*, sc. meorum. — *numinis*, Augusti.

V. 52. *Aequantem superos emeruisse virum*, i. e. dignos vos præstare Augusto diis non minore.

Lib. IV. eleg. 9.

In inimicum.

Scripta est hæc elegia in eundem inimicum, in quem supra III. 11, ubi cf. adn.

V. 2. *Et tua Lethæis acta dabuntur aquis*, cf. Ov. A. A. III. 340: «Nec mea Lethæis scripta dabuntur aquis» — *tua . . . acta*, cf. adn. supra ad III. 11, 2. — *Lethæis . . . aquis*, oblivioni; cf. adn. ad IV. 1, 47.

V. 4. *tui*, improbitatis tuæ.

V. 5—6. *eradere*, tamquam e fastis vitæ tuæ. — *Tisiphonea*, furialia; erat enim Tisiphone una Furiarum.

V. 10. *istuc*, sc. Romam; cf. adn. ad III. 3, 25.

V. 11. *Omnia . . . Cæsar mihi iura reliquit*, cf. adn. ad I. 7, 8.

V. 13—14. *modo sit sospes*, cf. adn. ad IV. 4, 47. — *Sæpe Iovis telo quercus adusta viret*, cf. supra II. 143—144: «Vidi ego pampineis oneratam vitibus ulmum, Quæ fuerat sævi fulmine tacta Iovis».

V. 16. *Pierides vires et sua tela dabunt*, i. e. scribam in te carmen invectivum. Quod poeta re vera fecit in *Ibide*, ubi hunc inimicum diris devovit. — *Pierides*, cf. adn. ad III. 2, 3.

V. 17—18. *Scythicis . . . in oris*, cf. adn. ad I. 2, 82. — *Siccaque . . . signa*, Ursa maior et minor; cf. supra adn. ad IV. 3, 1—2. — *oculis proxima signa meis*, Ursa maior et minor fulgent in cælo septentrionali, sub quo siti sunt Tomi.

V. 22. *hesperiæ*, occidentalis. — *Eous*, Oriens.

V. 26. *Perpetuæ crimen posteritatis eris*, i. e. accusaberis ab omni posteritate.

V. 27. *nondum cornua sumpsi*, nondum sustuli cornua in te: cf. Ov. A. A. I. 239: «tum pauper cornua sumit».

V. 29. *Circus*, cogitandum de tauromachia. — *spargit tamen acer arenam Taurus et infesto iam pede pulsat humum*, cf. Verg.

Ecl. 3, 86: «taurum, Iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam».

Lib. IV. eleg. 10.

De vita sua.

V. 1. *tenerorum lusor amorum,* poeta carminum amatoriorum ludibundorum; cf. supra III. 3, 73.

V. 3. *Sulmo,* nunc *Solmona,* oppidum in terra Pælignorum. — *gelidis uberrimus undis,* cf. Ov. Amor. II. 16, 1: «Pars me Sulmo tenet Pæligni tertia ruris, Parva, sed inriguis ora salubris aquis», ibid. II. 1, 1: «Pælignis natus aquosis», ibid. III. 15, 11: «Sulmonis aquosi»; Fast. IV. 81: «Sulmonis gelidi».

V. 6. *Cum cecidit fato consul uterque pari,* totus pentameter ex Lygd. 5, 18. Natus est igitur Ovidius a. 43. a. Chr., quo A. Hirtius et C. Vibius Pansa consules in bello Mutinensi ceciderunt; cf. Vell. Pat. II. 61: «alter enim (Hirtius) in ipsa acie, alter post paucos dies ex vulnere mortem obiit».

V. 7—8. *Siquid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,* idem versus Ov. Amor. III. 15, 5. — *ordinis,* sc. equestris. — *Non modo fortunæ munere factus eques,* cf. Ov. Amor. III. 15, 6: «Non modo militiæ turbine factus eques». Ovidius igitur, ex familia equestri antiquissima ortus, erat unus ex *equitibus illustribus,* quos Augustus ab equitibus modo factis segregavit.

V. 11—12. *Lucifer,* stella matutina pro die, ut Tibull. I. 3, 94. et Ov. Fast. I. 45. II. 150, 568. III. 772. VI. 211, 791. — *liba,* cf. adn. supra ad III. 13, 17.

V. 13—14. *Hæc est armiferæ festis de quinque Minervæ, Quæ fieri pugna prima cruenta solet,* natus est igitur die secundo Quinquatruum, festorum in honorem Minervæ celebratorum, i. e. die 20. Martii, quo ludi gladiatorii initium ceperunt. Cf. Ov. Fast. III. 809: «fiunt sacra Minervæ, Nomina quæ iunctis quinque diebus habent: Sanguine prima vacat nec fas concurrere ferro: Causa, quod est illa nata Minerva die; Altera tresque super strata celebrantur harena: Ensibus exsertis bellica læta dea est». — *armiferæ . . . Minervæ,* ut Ov. Fast. III. 681.

V. 15—16. *teneri,* sc. puerili ætate. — *Imus ad insignes Urbis ab arte viros,* audiebat Ovidius duos rhetores Romæ tunc cele-

berrimos, M. Porcium Latronem et Arellium Fuscum. Cf. Senec. Controv. II. 10.

V. 17—18. *viridi*, iuvenili. — *verbosi natus ad arma fori*, ad eloquentiam forensem; cf. adn. ad III. 12, 18: «Cedunt verbosi garrula bella fori».

V. 19. *cœlestia sacra*, poesis; cf. adn. ad III. 7, 32.

V. 21—22. *Studium . . . inutile*, non lucrosum. — *Mœonides*, Homerus; cf. adn. ad I. 1, 47.

V. 23. *Helicone*, cf. adn. ad IV. 1, 50.

V. 25—26. *numeros*, versus. — *Et quod temptabam dicere, versus erat*, cf. Senec. Controv. II. 10, 8. (de Ovidii studiis rhetoricis): «Habebat ille comptum et decens et amabile ingenium. Oratio eius iam tum nihil aliud poterat videri, quam solutum carmen».

V. 28. *Liberior . . . toga*, toga virilis, signum libertatis virilis; cf. Ov. Fast. III. 771: «toga libera» et ibid. III. 777: «vestis . . . libera . . . Sumitur et vitæ liberioris iter».

V. 29—30. *Induiturque umeris cum lato purpura claro*, quod faciebant iuvenes, qui rempublicam capessere volebant; cf. Suet. Aug. 38: «Liberis senatorum, quo celerius rei publicæ assuescerent, protinus a virili toga clavum induere et curiæ interesse permisit». Idem etiam liberis equitum illustrium (cf. adn. supra ad vs. 8.) licuisse ex hoc Ovidii loco apparet. — *lato . . . clavo*, limbus purpureus in tunica, senatoriæ dignitatis signum.

V. 33—34. *teneræ . . . ætatis honores*, iuvenibus convenientes. — *Eque viris quondam pars tribus una fui*, erat igitur Ovidius aut triumvir capitalis, quibus mandata erat carcerum et suppliciorum cura, aut triumvir monetalis, qui præerant rei monetariæ. Hi enim duo triumviratus pertinebant ad vigintiviratum, unde aditus patebat ad honores maiores.

V. 35—36. *Curia restabat*, postquam Ovidius vigintiviratum gessit, restabat, ut quæsturam (inde ab anno ætatis 25.) peteret, ex quo honore aditus patebat ad senatum. — *clari mensura coacta est*, i. e. poeta maiores magistratus gerere recusans deposuit tunicam laticlaviam (senatoriam) et rursus induit angusticlaviam equiti convenientem. — *illud onus*, sc. onus muneris senatorii.

V. 38. *Sollicitæque fugax ambitionis*, cf. Cic. pro Mil. 16, 42:

«scis enim, quam timida sit ambitio, quantaque et quam sollicita sit cupiditas consulatus».

V. 39—40. *Aoniæ . . . sorores*, Musæ Heliconiades; Aonia enim est regio Bœotiæ, ubi erat Helicon (cf. vs. 23.), mons Musarum. — *tuta . . . Otia*, quæ poetis conveniunt; cf. supra I. 1, 42: «Carmina secessum scribentis et otia quærunt».

V. 43—44. *Sæpe suas volucres legit mihi . . . Macer*, Aemilius Macer Veronensis, a. a. Chr. n. 16. mortuus, poeta didacticus, qui scripsit Ornithogoniam, carmen de avibus. — *Quæque nocet serpens*, Aemilius Macer scripsit etiam Theriaca, ubi agebatur de morsibus serpentum venenatorum et de medicina eorum. — *quæ iuvat herba*, referendum videtur ad tertium quoddam Aemilii Macri opus de herbis medicis.

V. 45—46. *suos . . . ignes*, carmina amatoria. — *Propertius . . . Iure sodalitii*, Propertius enim amicus intimus Ovidii fuit, quem in poesi amatoria Ovidius præcipue sequebatur magistrum.

V. 47. *Ponticus*, amicus Ovidii et Propertii, poeta epicus, scripsit Thebaida teste Propert. I. 7, 1. et I. 9, 9. — *heroo*, carmine heroico. — *Bassus*, scriptor iamborum, ad quem scripsit Propertius I. 4.

V. 49—50. *tenuit*, delectavit. — *numerosus Horatius*, propter metra varia in Carminum libris. — *ferit . . . carmina*, proprie: lyram ferit. — *Ausonia carmina culta lyra*, cf. Hor. Carm. III. 30, 13: «Princeps Aeolium carmen ad Italos Deduxisse modos».

V. 51—52. *Vergilium vidi tantum*, nam Vergilius virili ætate teste Donato (in Vita Verg.) propter infirmam valetudinem fugit Romam et secessu Campaniæ Siciliæque plurimum utebatur. — *nec amara Tibullo Tempus amicitiæ fata dedere meæ*, Tibullus mortuus est adulescens paulo post Vergilium a. 19. a Chr. n. In mortem eius scripsit Ovidius Amor. III. 9.

V. 53—54. *Galle*, cf. adn. ad II. 445. — *Quartus*, sc. in poesi elegiaca.

V. 55—56. *maiores*, sc. natu. — *Thalia*, poesis; una Musarum ponitur pro Musis.

V. 57. *Carmina . . . populo . . . legi*, cogitandum de recitationibus publicis ad exemplum Asinii Pollionis, de quo Senec. Con-

trov. IV. præf. 2: «primus enim omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit».

V. 59—60. *ingenium*, sc. poeticum. — *totam cantata per urbem . . . Corinna*, referendum ad Ovidii carmina de Corinna scripta, quæ a populo cantabantur; cf. Ov. Amor. I. 3, 25. (ad Corinnam): «Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem Iunctaque semper erunt nomina nostra tuis». — *Nomine non vero dicta Corinna*, quam Ovidius in opere primo, in libris Amorum celebravit.

V. 63—64. *Tum quoque, cum fugerem, quædam placitura cremari*, ut Metamorphoses; cf. supra I. 7. 13. sqq. et adn. ad h. l. — *fugerem*, in exilium irem. — *Iratus studio carminibusque meis*, cf. supra I. 7, 21.

V. 65—66. *Cupidineis nec inexpugnabile telis Cor mihi*, cf. Ov. Met. XI. 767: «nec inexpugnabile amori Pectus habens».

V. 67—68. *hic*, talis. — *Nomine sub nostro fabula nulla fuit*, cf. adn. ad II. 350.

V. 69—70. *Pæne mihi puero . . . uxor Est data*, apud Romanos quattuordecim annorum pueri iam uxores ducere poterant. — *Est data*, sc. a parentibus meis.

V. 72. *toro*, matrimonio.

V. 73—74. *Ultima*, de tertia Ovidii uxore cf. infra Excurs. I. — *Sustinuit*, non dedignata est.

V. 75. *Filia*, de filia Ovidii cf. adn. I. 3, 19.

V. 77—78. *novemque Addiderat lustris altera lustra novem*, ergo nonagesimum egressus est annum.

V. 80. *iusta tuli*, honores mortuo debiti dicuntur *iusta*, Græce *δίκαια*; cf. Ov. Fast. III. 560: «germanæ iusta dat ante suæ».

V. 82. *pœnæ*, relegationis.

V. 85—86. *Si tamen extinctis aliquid nisi nomina restant Et gracilis structos effugit umbra rogos*, cf. supra III. 3, 60. et Propert. IV. 7, 1: «Sunt aliquid manes: letum non omnia finit Luridaque evictos effugit umbra rogos». — *nisi*, præter. — *gracilis . . . umbra*, cf. Lygd. 2, 9: «cum tenuem fuero mutatus in umbram».

V. 88. *in Stygio . . . foro*, tamquam apud iudices inferorum.

V. 89—90. *causam . . . fugæ*, de causa relegationis cf. infra Excurs. II. — *Errorem*, cf. adn. ad I. 2, 99. — *non scelus*, cf. adn. ad I. 2, 98.

V. 91. *studiosa*, sc. mei.

V. 94. *antiquas . . . comas*, priores, quæ fuerant nigræ; cf. adn. ad III. 7, 34.

V. 95—96. *Postque meos ortus Pisæa vinctus oliva Abstulerat decies præmia victor equus*, Ovidius relegatus est quinquagesimum egressus annum, a. p. Chr. n. 8.; cf. supra IV. 8, 33—34: «Iamque decem lustris omni sine labe peractis Parte premor vitæ deteriore meæ». Hoc loco autem poeta lustrum Romanum ex quinque annis constans confundit cum Olympiade Græcorum. Ludi quidem Olympici celebrabantur quinto quoque anno, sed una Olympias ex quattuor tantum annis constitit, quod fugit Ovidium; idem error Ep. ex Pont. IV. 6, 5: «in Scythia nobis quinquennis Olympias acta est: Iam tempus lustri transit in alterius». — *Pisæa . . . oliva*, Olympica; Olympia enim, ubi ludi celebrabantur, haud procul ab urbe Pisa erat sita. — *oliva*, corona ex foliis olearum sacrarum luci Altis in Olympia, victoris præmium; cf. Pindar. Ol. IV. 11: ἐλαίᾳ στεφανωθεὶς Πισάτιδι. — *victor equus*, sc. in certamine curruum.

V. 97—98. *maris Euxini . . . ad læva*, cf. adn. ad I. 2, 83. — *Tomitas*, de situ Tomorum cf. adn. ad I. 2, 85. — *læsi principis ira iubet*, cf. supra I. 10, 42: «Offensi quo me detulit ira dei».

V. 101. *comitumque nefas famulosque nocentes*, cf. adn. ad I. 5, 64.

V. 106. *temporis arma*, arma huic infelici tempori apta, i. e. patientia et fortitudo animi.

V. 108. *Occultum . . . polum*, polus cæli meridionalis, quem incolæ hemisphæræ septentrionalis non vident; *conspicuumque*, polus septentrionalis; cf. Verg. Ge. I. 242: «Hic vertex nobis semper sublimis; at illum Sub pedibus Styx atra videt manesque profundi;» Hygin. P. A. 1. 5: «Polus is, qui boreus appellatur, pervideri potest semper, notius autem ratione dissimili semper est a conspectu remotus».

V. 110. *Iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis*, cf. adn. ad I. 2, 82.

V. 113. *nemo est, cuius referatur ad aures*, cf. supra III. 14, 39—40.

V. 116. *lucis*, vitæ.

V. 119—120. *Histri*, cf. II. 189. — *Helicone*, cf. adn. ad IV. 1, 50.

V. 122. *ab exsequiis*, post funus; cf. Propert. III. 1, 23: «Omnia post obitum fingit maiora vetustas. Maius ab exsequiis nomen in ora venit».

V. 123—124. *Livor iniquo . . . dente momordit opus*, cf. Hor. Carm. IV. 3, 16: «Et iam dente minus mordeor invido» et Ov. Ep. ex Pont. III. 4, 73: «Scripta placent a morte fere, quia lædere vivos Livor et iniusto carpere dente solet».

V. 129—130. *Siquid habent igitur vatum præsagia veri*, cf. Ov. Met. XV. 878: «Si quid habent veri vatum præsagia, vivam». — *ut*, concessivum.

V. 131—132. *favore*, sc. lectorum amicorum. — *carmine*, vero carminum pretio. — *candide*, benevole, amice.

AD LIBRUM QUINTUM.

Lib. V. eleg. 1.

Præfatio.

Liber V. Tristium Romam missus esse videtur vere anni p. Chr. n. 12.

V. 1—2. *de Getico . . . litore,* cf. adn. ad I. 2, 82.

V. 7. *læta et iuvenalia,* sc. carmina amatoria.

V. 10. *argumenti . . . mei,* historiæ meæ. — *conditor,* scriptor.

V. 11. *Caystrius ales,* cycnus; Cayster, fluvius in Ionia cycnis clarus. Cf. Hom. Il. II. 459: *ἔθνεα πολλὰ . . . κύκνων δουλιχοδείρων Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα* et Verg. Ge. I. 383: «Iam variæ pelagi volucres et quæ Asia circum Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri».

V. 13—14. *Sarmaticas . . . in oras,* cf. adn. ad I. 2, 82. — *funus,* cf. adn. ad I. 1, 27.

V. 17. *Gallus,* cf. adn. ad II. 445. — *blandique Propertius oris,* cf. II. 465: «blandi præcepta Properti».

V. 19. *numero . . . in isto,* inter poetas elegiæ amatoriæ; cf. supra IV. 10, 53—54.

V. 21—22. *Scythicique . . . Histri,* quia Scythæ in litore septentrionali Ponti Euxini haud procul ab ostiis Histri (Danuvii) habitabant. — *lusor . . . Amoris,* cf. III. 3, 73. et IV. 10, 1: «tenerorum lusor amorum».

V. 23—24. *Quod superest,* tempore, quod mihi adhuc supererat; tempore reliquo; cf. infra V. 5, 18. — *numeros,* versus mihi proprios, i. e. disticha elegiaca. — *ad nubila carmina,* ad tristia carmina, ad libros Tristium scribendos; cf. supra I. 1, 39: «Car-

mina proveniunt animo deducta *sereno: Nubila* sunt subitis tempora nostra malis» et infra V. 3, 14: «*Nubila* nascenti seu mihi Parca fuit». — *nubila*, ex mea coniectura: cf. supra præf. erit. *Et memores iussi nominis esse sui*, i. e. numeri mihi proprii appellantur elegi; vox autem ἔλεγος originem ducit ex ἒ λέγειν, i. e. væ dicere; numeri igitur mei, si nominis sui memores sunt, debent esse flebiles. Cf. Suid. s. v. ἔλεγος et Ov. Amor. III. 9, 3: «Flebilis indignos Elegeia solve capillos: A! nimis ex vero nunc tibi nomen erit» et Ov. Her. 15, 7: «elegeia flebile carmen».

V. 31. *Thybris*, Tiberis. — *Martis . . . campus*, campus Martius Romæ.

V. 34. *in studio*, sc. poetico. — *Pieridumque*, cf. adn. ad III. 2. 3. — *mora*, i. e. obliviscor malorum, dum Musæ me morantur, dum carminibus scribendis operam do.

V. 43—44. *ut lusit*, sc. in carminibus amatoriis. — *malo . . . meo*, in exitium meum.

V. 45—46. *ipse*, sc. Augustus. — *poenæ modo parte levata*, i. e. in tutiorem locum relegatus; cf. supra II. 201. — *rigidos*, duros, crudeles.

V. 48. *Tibia funeribus convenit*, nam apud antiquos in pompa funebri tibicines canere solebant.

V. 53—54. *Perilleo Phalaris*, cf. adn. ad III. 11, 40. — *bovis ore queri*, cf. III. 11, 45—48.

V. 55. *Priami lacrimis offensus non sit Achilles*, cum Priamus corpus Hectoris ab Achille redimere vellet; cf. Hom. XXIV. 509. sqq.

V. 57—58. *Cum faceret Nioben orbam Latonia proles*, liberi Niobes ab Apolline et Diana sagittis necati sunt. — *Latonia proles*, liberi Latonæ, Apollo et Diana. — *Non tamen et siccas iussit habere genas*, Niobe flens mutata est in saxum, unde aqua defluxit; cf. Ov. Met. VI. 311: «fixa cacumine montis Liquitur et lacrimas etiam nunc marmora manant.»

V. 60. *Procnen*, cf. adn. ad II. 389—390. — *Alcyonenque*, Alcyone, filia Aeoli, ubi corpus mariti Ceycis, qui naufragio perierat, in litore conspexit, in mare se præcipitavit: deinde ambo in alcyones mutati querulo sono sortem suam deflere videbantur: cf. Ov. Met. XI. 410. sqq.

V. 61—62. *Poeantius*, Philoctetes, Poeantis filius, quem viperino morsu laborantem Græci Troiam petentes in insula Lemni reliquerunt. — *antro*, in spelunca latebat Philoctetes et vulneris dolore cruciatus edebat gemitus horrendos; cf. Cic. De fin. II 29, 94: «At iam decimum annum in spelunca iacet» sc. Philoctetes. — *Voce fatigaret Lemnia saxa sua*, cf. Cic. De fin. II. 29, 94: «saxum illud Lemnium clamore Philocteteo funestare» et ibid. Acci fragmentum: «Quod (sc. saxum) eiulatu, questu, gemitu, fremitibus Resonando mutum flebiles voces refert.»

V. 71. *hic*, sc. Tomis. — *deducta*, cf. adn. ad I. 1, 39.

V. 74. *Sauromatas*, cf. adn. ad I. 2, 82.

V. 79—80. *isto*, istuc, sc. Romam; cf. adn. ad III. 3, 25. — *Vobiscum*, sc. cum amicis vs. 25. commemoratis.

Lib. V. eleg. 2.

Ad uxorem.

V. 2. *solvitur*, cf. adn. ad IV. 7, 7.

V. 12. *Grandibus accedunt tempore damna malis*, cf. supra IV. 6, 38: «mala sunt longa multiplicata die».

V. 13—14. *decem . . . Poeantius annis*, Philoctetes; cf. adn. ad V. 1, 61—62. — *tumido*, veneno tumens.

V. 15. *Telephus*, cf. adn. ad I. 1, 99—100.

V. 17—18. *facinus nullum*, cf. adn. ad I. 2, 98. — *Vulnera qui fecit*, sc. Augustus.

V. 20. *Exiguum pleno de mare demat aquæ*, i. e. alium relegationis locum mihi designet. — *mare*, eadem ablativi forma Ep. ex Pont. IV. 6, 46.

V. 27. *Icariæ . . . aquæ*, mare Icarium, pars maris Aegæi circa insulam Icariam, ubi Icarus, Dædali filius, in undas decidit. — *numerum*, sc. guttarum.

V. 30. *strictas in mea fata manus*, cf. adn. ad I. 1, 43—44. — *strictas . . . manus*, sublatas, elatas; ad analogiam locutionis: gladium stringere. — *in mea fata*, in meum exitium.

V. 33. *traicerer*, in alium relegationis locum mitterer ab Augusto. — *neque enim mea culpa cruenta est*, cf. adn. ad II. 51—52. et III. 5, 44: «Cum pœnæ non sit causa cruenta meæ».

V. 35. *deus*, Augustus.

V. 41. *lassis . . . rebus*, cf. adn. ad I. 5, 35.

V. 43—44. *ad aram Confugiam*, ut supplices solent.

V. 46. *cum Iove*, Augusto.

V. 48. *Ausoniæ*, Italicæ.

V. 49. *O decus*, sc. patriæ. — *o patriæ . . . imago*, cf. Ep. ex Pont. II. 8, 20. (de Augusto): «Nam patriæ faciem sustinet ille suæ».

V. 51—52. *æther*, cælum. — *ad pacta tibi sidera tardus eas*, cf. Hor. Carm. I. 2. 45: «Serus in cælum redeas diuque Lætus intersis populo Quirini».

V. 53—54. *minimamque tuo de fulmine partem Deme*, cf. adn. supra ad vs. 20.

V. 55—58. *vitamque dedisti*, cf. adn. ad I. 1, 20. — *Nec mihi ius civis* etc., cum vss. 56—57. cf. adn. ad I. 7, 8. — *nec exul Edicti verbis nominor*, cf. ad II. 135—138.

V. 62. *Scythicum . . . fretum*, Pontum Euxinum, cuius litora septentrionalia Sythæ incolunt.

V. 64. *axe*, cælo; cf. adn. ad I. 3, 48.

V. 66. *obusta gelu*, cf. adn. ad III. 2, 8.

V. 67—68. *Nesciaque est vocis quod barbara lingua Latinæ*, cf. infra V. 10. 37—38. — *Græcaque quod Getico victa loquella sono est*, Tomi erant colonia Milesiorum; cf. adn. ad I. 10, 41; sed, ut infra V. 7. 51. legimus: «In paucis extant Græcæ vestigia linguæ: Hæc quoque iam Getico barbara facta sono».

V. 69—70. *Marte*, bello. — *Vixque brevis tutos murus ab hoste facit*, cf. supra IV. 1, 71—86.

V. 73. *Hinc . . . muter*, in alium locum transferar; cf. Ep. ex Pont. I. 1. 79: «Inque locum Scythico vacuum mutabor ab arcu». et ibid. IV. 14. 7: «terra quo muter ab ista». — *Zanclaea Charybdis*, Zancle erat vetus nomen urbis Messanæ in Sicilia ad fretum Siculum, ubi erat vertex Charybdis.

V. 75—76. *Vel rapidæ flammis urar patienter in Aetnæ*, ut olim Empedocles, philosophus clarissimus, de quo Diog. Lært. VIII. 2, 69: *αὐτὸν ὡδευκέναι ὡς ἐπὶ τὴν Αἴτνην, εἶτα παραγενόμενον ἐπὶ τοὺς κρατῆρας τοῦ πυρὸς ἐναλέσθαι.* Cf. Tibull. IV. 1, 196: «Vel pronum Aetnææ corpus committere flammæ».

rapidæ flammis . . . Aetnæ, enallage: rapidis flammis Aetnæ. — *Vel freta Leucadii mittar in alta dei*, e promunturio illo insulæ Leucadis (in mari Ionio), ubi erat templum celeberrimum Apollinis, quotannis festo Apollinis scelestus quidam in mare præcipitabatur.

Lib. V. eleg. 3.

Ad Bacchum et ad poetas Romanos Liberalia celebrantes.

Elegia hæc scripta esse videtur ad concelebranda Liberalia (die 17. Martii).

V. 1. *Illa dies hæc est*, Liberalia, festum in honorem Bacchi die 17. Martii, quem poetæ quoque, qui erant in Bacchi tutela, celebrare solebant.

V. 7—8. *suppositum stellis Cynosuridos ursæ*, i. e. sub cælo septentrionali, ubi est sidus Ursæ, morantem. — *Cynosuridos ursæ*, Ursa minor, quæ a Græcis etiam Cynosura vocabatur. — *Iuncta tenet crudis Sarmatis ora Getis*, cf. supra IV. 10, 110. et adn. ad I. 2, 82. — *crudis*, feris.

V. 10. *In studiis*, sc. poeticis. — *Pieridum*, cf. adn. ad III. 2, 3.

V. 11—12. *Geticis circumsonor armis*, cf. supra IV. 10, 111. — *prius*, sc. in itinere Tomos petens.

V. 14. *Nubila*, tristis et aspera.

V. 15—16. *e sacris hederæ cultoribus*, hedera Baccho sacra ornantur tempora poetarum, qui sunt in tutela Bacchi. — *sacris*, sacri appellantur poetæ, quia sunt in tutela deorum; cf. Tibull. II. 5, 113: «At tu, nam divum servat tutela poetas, Præmoneo, vati, parce, puella sacro». — *sustinuisse*, servasse.

V. 17—18. *dominæ fati . . . sorores*, Parcæ. — *cecinere*, prædixere; Parcæ enim, ut fabulæ docent, ad cunas modo natorum (cf. infra vss. 25—26.) solent futura canere. — *sub arbitrio desinit esse dei*, nam sententia antiquorum dii quoque fato subiecti sunt; cf. Tibull. I. 7, 1: «Parcæ fatalia nentes Stamina non ulli dissoluenda deo».

V. 19. *ætherias meritis invectus es arces*, Bacchus, feminæ mortalis, Semeles filius factis suis egregiis meruit, ut inter deos referretur. — *ætherias . . . arces*, cælum.

V. 21—22. *patria*, Thebæ; mater enim Bacchi, Semele, erat filia Cadmi, regis Thebani. — *adusque nivosum Strymona venisti Marticolamque Geten*, i. e. Bacchus subegit Thraciam et terram Getarum (Moesiam), ubique cultum suum divulgans; cf. Ov. Fast. III. 719. (de Baccho): «Sithonas (i. e. Thraces) et Scythicos longum est narrare triumphos». — *nivosum Strymona*, fluvius Thraciæ; *nivosum*, erat enim Thracia sententia Græcorum terra frigida. — *Marticolamque Geten*, Getas bellicosos; cf. adn. ad III. 3, 6.

V. 23—24. *Persidaque*, Persiam. — *Gangen*, fluvium Indiæ; nam Bacchus Indiam quoque subegit; cf. Ov. Fast. III. 720. (de Baccho): «Et domitas gentes, turifer Inde, tuas». — *decolor Indus*, niger tamquam amisso naturali vultus colore; cum toto vs. 24. cf. Tibull. IV. 2, 19—20: «Et quascumque niger rubro de litore gemmas Proximus eois colligit Indus aquis» et Propert. IV. 3, 10: «Ustus et eois discolor Indus equis».

V. 25—26. *Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcæ Stamina . . . cecinere tibi*, cf. Tibull. I. 7, 1: «Hoc cecinere die Parcæ fatalia nentes Stamina». — *hanc legem . . . Parcæ . . . cecinere tibi*, cf. adn. supra ad vs. 17: «cecinere». — *hanc legem*, hoc fatum, hanc sortem. — *bis genito*, postquam mater Bacchi, Semele, fulmine icta est (cf. adn. supra ad IV. 3, 68.), Iuppiter Bacchum, fetum immaturum Semelæ, femori suo insuit itaque servavit usque ad iustum nascendi tempus; cf. Ov. Fast. III. 717. (de Baccho): «puer ut posses maturo tempore nasci, Expletum patrio corpore matris opus».

V. 29. *Illo*, Capaneus; cf. adn. supra ad IV. 3, 63.

V. 31—32. *percussum fulmine vatem*, cf. supra I. 1, 69—72. — *Admonitu matris*, memoria Semeles; cf. adn. ad IV. 3, 68.

V. 35—36. *Fer, bone Liber, opem: sic altam degravet ulmum Vitis*, cf. Lygd. 6, 1: «Candide Liber, ades: sic sit tibi mystica vitis Semper». — *altam degravet ulmum Vitis*, cf. Hor. Epod. 2, 9: «adulta vitium propagine Altas maritat populos» et adn. supra ad II. 143.

V. 37—38. *bacchis*, feminæ bacchantes, Bacchæ. — *satyrorum*, qui erant soliti comites Bacchi. — *attonito non tacere sono*, bacchantes enim sacro furore correpti Bacchi nomen clamare solebant.

V. 39—40. *Ossa . . . sint male pressa,* non sit illis terra levis. — *bipenniferi . . . Lycurgi,* Lycurgus, rex Thraciæ, inimicus Bacchi, qui cum vites a Baccho satas securi cædere vellet, a Baccho in furorem coniectus suos ipsius pedes desecuit. — *Pentheos umbra,* Pentheus, rex Thebanus, contemptor Bacchi, a matre Agave et a sororibus eius furore Bacchi correptis discerptus est.

V. 42. *Coniugis . . . clara corona,* corona a Venere Ariadnæ, uxori Bacchi, dono data, postea inter sidera relata est; cf. Ov. Fast. III. 459—516.

V. 43—44. *pulcherrime,* nam, ut Tibull. I. 4, 27. docemur: «Solis æterna est Baccho Phoeboque iuventas». — *de numero . . . tuo,* ex cultoribus et clientibus tuis; sunt enim poetæ in tutela Bacchi.

V. 53—54. *candore,* bonitate, benevolentia. — *Nullaque . . . littera,* nullum opus poetarum æqualium.

V. 56. *Proxima,* recentia, quæ nobis proxima sunt.

V. 57. *dextro,* propitio, favente.

Lib. V. eleg. 4.

Ad amicum, verisimiliter ad Atticum.

Scripta est hæc elegia verisimiliter ad intimum poetæ amicum, Atticum; cf. adn. infra ad vss. 23—30. Ad eundem missa esse videtur supra III. 6., ubi cf. adn.

V. 1. *Nasonis epistula veni,* in toto hoc carmine epistula loquitur pro poeta.

V. 6. *gemma,* sc. gemma anuli, qua epistulæ signabantur.

V. 11—12. *Hectore rapto,* cf. adn. ad III. 11, 28. — *Philoctetes,* cf. adn. ad V. 1, 61.

V. 18. *non scelus,* cf. adn. ad I. 2, 98.

V. 19, *dei,* Augusti.

V. 21—22. *quod opes teneat patrias, quod nomina civis,* cf. adn. ad I. 7, 8. — *quod vivat, munus habere dei,* cf. adn. ad I. 1, 20.

V. 23—24. *Tu tamen, o, siquid credis mihi, carior illi Omnibus,* ad Atticum hæc referenda videntur; cf. supra III. 6, 3. (ad Atticum): «nec te mihi carior alter».

V. 25—26. *Teque Menoetiaden, te, qui comitatus Orestem, Te*

vocat Aegiden Euryalumque suum, eodem modo Ep. ex Pont. II. 4, 21—22. (ad Atticum): «Denique tantus amor nobis, carissime, semper, Quantus in Aeacide Actorideque fuit». — *Menoetiaden*, Patroclus, Menoetii filius, Achillis amicus. — *qui comitatus Orestem*, Pylades. — *Aegiden*, Theseus, Aegei filius, Pirithoi amicus. — *Euryalum*, cf. adn. ad I. 5, 23.

V. 27—30. *Nec patriam magis ille suam desiderat et quæ Plurima cum patria sentit abesse sibi, Quam vultus oculosque tuos*, idem dicit supra III. 6, 20. de Attico: «Pars desiderii maxima pæne mei». — *o dulcior illo Melle, quod in ceris Attica ponit apis*, alludere videtur ad nomen amici, *Atticum*, ut supra III. 5, 17. ad *Carum*: «scis *carum* veri nominis esse loco». — *Attica . . . apis*, in monte Hymetto.

V. 34. *ictæ*, tamquam fulmine ictæ; cf. supra I. 1, 69—72.

V. 36. *tresve duosve*, cf. adn. ad I. 3, 16.

V. 39. *referre*, in memoriam revocare.

V. 43—44. *memoremque*, grato animo. — *diem*, solem.

V. 48. *tuos litus arare boves*, proverbialis locutio de labore irrito; est enim litus plerumque harenosum et infecundum; cf. Ov. Her. 1, 116: «Non profecturis litora bubus aras» et Ep. ex Pont. IV. 2, 16: «siccum sterili vomere litus aro».

V. 49—50. *profugum tueare*, cf. supra III. 6, 21. ad Atticum: «si quas fecit tibi gratia vires, Illas pro nobis experiare, rogo» et adn. ad III. 6. vs. 8. et 21, — *ille*, sc. poeta ipse. — *ipsa*, sc. epistula.

Lib. V. eleg. 5.

In natalem uxoris.

V. 1—2. *Annuus . . . dominæ natalis*, dies natalis uxoris quotannis revertens. — *Exigit*, poscit.

V. 3. *Laertius . . . heros*, Ulixes, Laertæ filius.

V. 5—6. *Lingua favens*, cf. adn. ad III. 13, 18: «ore favente». — *bona verba*, cf. adn. ad III. 13, 24.

V. 7—8. *vestis . . . alba*, cf. adn. ad III. 13, 14. — *fatis discolor*, sorti meæ non conveniens.

V. 10. *velet tepidos nexa corona focos*, cf. III. 13, 15.

V. 11—12. *tura . . . merum*, cf. adn. ad III. 13, 17: «Libaque». —

puer, poeta servum suum adloquitur. — *pingues . . . flammas,* cogitandum de denso turis fumo.

V. 14. *Candidus,* serenus; i. e. sit dies natalis uxoris serenus boni ominis causa; similiter optat Propert. III. 10, 5. die natali Cynthiæ: «Transeat hic sine nube dies».

V. 18. *Quod superest,* i. e. tempore, quod adhuc superest; tempore reliquo; cf. supra V. 1, 23.

V. 19. *nataque sua,* cf. adn. ad I. 3, 97.

V. 24. *suos,* fato sibi destinatos.

V. 25. *Adicerem et nostros,* libenter ei donarem partem annorum meorum; cf. Tibull. I. 6, 63: «proprios ego tecum, Sit modo fas, annos contribuisse velim».

V. 28. *in mediis . . . Getis,* cf. adn. ad I. 2, 82.

V. 30. *dextra,* felicia.

V. 31. *æthera,* cælum.

V. 34. *commune sacrum cum fiat in ara Fratribus,* Eteocles et Polynices, fratres Thebani inimici, qui se in certamine singulari invicem necaverant, post mortem colebantur ut heroes; sed, quotiescumque commune sacrificium eis oblatum est, flamma aræ in duas partes scindi videbatur.

V. 38. *Battiades,* Callimachus Cyrenensis, poeseos Alexandrinæ princeps, qui fabulam hanc narravit in carmine quodam suo; cf. Strab. 17, p. 837: *λέγεται δὲ ἡ Κυρήνη κτίσμα Βάττου· πρόγονον δὲ τοῦτον ἑαυτοῦ φάσκει Καλλίμαχος.*

V. 40. *Ausoniamque,* Italiam.

V. 41—42. *lux,* dies. — *festa,* læta, felix.

V. 44. *Eetion,* pater Andromachæ, uxoris Hectoris. — *Icarius,* pater Penelopes.

V. 45. *morum,* iunge cum *probitasque.*

V. 47. *impar,* non conveniens.

V. 50. *Tristi materiam tempore laudis habet,* cf. supra III. 3, 73. et ibid. vss. 79—80.

V. 53—54. *Victor,* Capaneus; cf. adn. ad IV. 3, 63. — *Echionias . . . arces,* Thebæ; Echion enim erat gener Cadmi et adiutor eius in Thebis condendis. — *Euadnen,* cf. adn. ad IV. 3, 64.

V. 55. *Pelia genitæ,* una ex filiabus Peliæ erat Alcestis, uxor Admeti, de qua Apollod. I. 106: *Ἀπόλλων . . . ᾐτήσατο παρὰ*

Μοιρῶν, ἵνα, ὅταν Ἄδμητος μέλλῃ τελευτᾶν, ἀπολυθῇ τοῦ θανάτου, ἂν ἑκουσίως τις ὑπὲρ αὐτοῦ θνήσκειν ἕληται. Ὡς δὲ ἦλθεν ἡ τοῦ θνήσκειν ἡμέρα, μήτε τοῦ πατρὸς μήτε τῆς μητρὸς ὑπὲρ αὐτοῦ θνήσκειν θελόντων Ἄλκηστις ὑπερέθανε. Hanc fabulam continet celeberrima Euripidis tragœdia *Alcestis*.

V. 57—58. *Iliacas tangat prior alter harenas*, Protesilaus, qui primus Græcorum Troiam appellentium e nave exsiluit primusque cecidit. — *Laodamia*, cf. adn. ad I. 620.

V. 60. *sui*, secundi.

V. 62. *Pylios . . . dies*, vitam Nestoris Pylii.

Lib. V. eleg. 6.

Ad amicum, verisimiliter ad Cottam Maximum.

Scripta est hæc elegia verisimiliter ad Cottam Maximum (cf. infra adn. ad vs. 2, 14. et 17.), ad quem missa est supra IV. 5. (ubi cf. adn.) et verisimiliter infra V. 13.

V. 2. *Qui mihi confugium, qui mihi portus eras*, ad Cottam Maximum hæc referenda videntur: cf. supra IV. 5. 5. (ad Cottam Maximum): «Qui veritus non es portus aperire fideles Fulmine percussæ confugiumque rati».

V. 7. *Palinure*, gubernator Aeneæ; cf. Verg. Aen. V. 833—871.

V. 10. *Automedontis*, Automedon, auriga Achillis.

V. 11. *Podalirius*, Machaon et Podalirius, filii Aesculapii, erant medici Græcorum Troiam oppugnantium.

V. 14. *Quæ patuit dextræ, firma sit ara, meæ*, ad Cottam Maximum hæc referenda videntur; cf. supra IV. 5, 2. (ad Cottam): «Unica fortunis ara reperta meis». — *Quæ patuit dextræ*, supplices enim in templum confugientes aram dextra manu prehendere solebant.

V. 17. *nova culpa*, sc. præter illam, ob quam relegatus sum: Cotta enim initio irascebatur Ovidio propter hanc culpam: cf. Ep. ex Pont. II. 3, 61. (ad Cottam): «Ira quidem primo fuerat tua iusta nec ipso Lenior, offensus qui mihi iure fuit, Quique dolor pectus tetigisset Cæsaris alti, Illum iurabas protinus esse tuum. Ut tamen audita est nostræ tibi cladis origo, Diceris erratis in-

gemuisse meis. Tum tua me primum solari littera coepit Et læsum flecti spem dare posse deum».

V. 21. *stringantur*, lædantur.

V. 25. *Agamemnone natum*, Orestem, quem Furiæ ob cædem matris insanum fecerunt.

V. 31—32. *prætexta*, toga magistratuum curulium limbo purpureo ornata. — *Virgaque*, fasces. — *cum verbis*, verba lictorum magistratibus præcedentium, qui populum cedere iubebant (summovebant).

V. 37. *celebrantur*, habitantur, obsitæ sunt. — *Hybla*, mons Siciliæ apibus clarus.

V. 45. *tumores*, iras.

Lib. V. eleg. 7.

Ad amicum de incolis Tomorum.

V. 1. *æquoreis additur Hister aquis*, cf. II. 189.

V. 4. *Candida*, felix.

V. 8. *offenso Cæsare*, cf. I. 5, 84. — *erit*, sc. miser.

V. 9. *Turba*, incolæ. — *Tomitanæ*, cf. adn. ad I. 2, 85.

V. 11—12. *Græcosque*, colonos Milesios; cf. adn. ad I. 10, 41. — *Getasque*, cf. adn. ad III. 3, 6. — *A male pacatis plus trahit ora Getis*, cf. supra V. 2, 68: «Græcaque quod Getico victa loquella sono est». — *male pacatis*, bellicosis et feris; idem epitheton Ep. ex Pont. II. 7, 2: «littera . . . a male pacatis, Attice, missa Getis». Cf. etiam Ep. ex Pont. III. 4, 92: «Non bene pacatis . . . Getis».

V. 13—14. *Sarmaticæ . . . Geticæque*, cf. adn. ad I. 2, 82. — *Sarmaticæ*, cf. adn. ad II. 198. — *itque reditque*, cf. adn. ad I. 7, 6: «fersque refersque».

V. 16. *Telaque vipereo lurida felle*, cf. III. 10, 63—64. — *lurida*, propter colorem fellis. — *felle*, veneno, antiqui enim venenum viperæ in felle positum putabant.

V. 21. *lusorum oblitus amorum*, cf. III. 3, 73. et IV. 10, 1.

V. 24. *Absit ab invisis et tamen umbra locis*, cf. III. 3, 61—64.

V. 25. *Carmina . . . pleno saltari nostra theatro*, cf. adn. ad II. 519.

V. 27. *Nil equidem feci . . . theatris*, ergo Medea, tragœdia Ovidii celeberrima, non erat scenæ destinata.

V. 32. *Pieridasque,* cf. adn. ad III. 2, 3.

V. 35—36. *Euboicis . . . fluctibus . . . Caphercam . . . aquam,* cf. adn. ad I. 1, 83.

V. 37. *vigilo,* i. e. noctu carmina compono.

V. 40. *curis . . . dare verba,* fallere curas.

V. 43. *locus est inamabalis,* cf. III. 12, 13—16.

V. 49. *Pellibus et laxis arcent mala frigora bracis,* cf. III. 10, 19: «Pellibus et sutis arcent mala frigora bracis».

V. 51. *In paucis extant Graecæ vestigia linguæ,* cf. adn. supra ad vs. 12.

V. 54. *e medio . . . verba,* verba vulgaria.

V. 56. *Sarmatico cogor plurima more loqui,* cf. infra V. 12. 58: «Nam didici Getice Sarmaticeque loqui» = Ep. ex Pont. III. 2, 40.

V. 61. *Ausoniæ,* Italicæ.

V. 64. *studii repeto signa,* tamquam re leo in castra poetarum. — *studii,* poetici. — *signa sinistra,* infausta; nam poesis amatoria ei maxime nocuit.

Lib. V. eleg. 8.

In inimicum.

Scripta est hæc elegia in eundem inimicum, in quem supra III. 11. (ubi cf. adn.) et IV. 9.

V. 1. *abiectus,* afflictus.

V. 3. *animos,* iram.

V. 5. *iacenti,* cf. adn. ad II. 571.

V. 7—8. *dubio Fortunæ stantis in orbe Numen,* dea Fortuna in statuis et picturis conspicitur plerumque globo aut rotæ insistens. — *dubio,* non stabili, volubili; cf. Ep. ex Pont. IV. 3, 31: «Hæc dea non stabili, quam sit levis, orbe fatetur, Quem summum dubio sub pede semper habet». — *exosæ verba superba deæ,* Nemesis, quæ odit et punit superbos; cf. Catull. 50, 18: «Nunc audax cave sis . . . Ne pœnas Nemesis reposcat a te»

V. 9. *Rhamnusia,* Nemesis, quæ Rhamnunte (in Attica) habebat templum antiquissimum.

V. 20. *Flammaque,* sc. fortuna.

V. 22. *dei,* Augusti.

V. 23—24. *peccavi citra scelus*, cf. adn. ad I. 2, 98. — *pudore Non caret . . . mea culpa*, cf. III. 6, 29—32.

V. *finem solis*, occasum.

V. 32. *soles et nubila*, dies serenos et nubilos. — *nitidum . . . isse diem*, cf. Hor. Carm. II. 14, 5: «quotquot eunt dies» et IV. 5, 7: «gratior it dies Et soles melius nitent».

V. 34. *Restitui*, proprie dicitur de exulibus in patriam revocatis.

V. 38. *a primis*, post prima.

Lib. V. eleg. 9.

Ad Celsum.

Scripta est hæc epistula ad eundum Celsum (cf. infra adn. ad vs. 7., 10., 13. et 19.), ad quem missa esse videtur supra I. 5., ubi cf. adn.

V. 3. *meriti*, beneficii.

V. 7. *mitem*, cf. supra I. 5, 5. (ad Celsum): «Tu mihi consilium vivendi *mite* dedisti, Cum foret in misero pectore mortis amor», i. e. Celsus eum impediit, quominus mortem sibi ipse consciseret, ut supra ad I. 5, 5—6. adnotavimus.

V. 10. *servato vate*, cf. adn. supra ad vs. 7.

V. 11. *Cæsaris est primum munus, quod ducimus auras*, cf. adn. ad I. 1, 20. — *auras*, spiritum.

V. 13. *tu, quam dedit ille, tueris*, cf. adn. supra ad vs. 7.

V. 15. *pars maxima*, sc. amicorum.

V. 17. *Naufragiumque meum tumulo spectarit ab alto*, cf. Lucret. II. 1: «Suave mari magno turbantibus æquora ventis E terra magnum alterius spectare laborem».

V. 19—20. *Seminecem Stygia revocasti solus ab unda*, cf. de Celso Ep. ex Pont. I. 9, 21: «O quotiens vitæ custos invisus amaræ Continuit promptas in mea fata manus! O quotiens dixit: «Placabilis ira deorum est: Vive nec ignosci tu tibi posse nega!» — *memores*, grato animo.

V. 21. *Di tibi se tribuant cum Cæsare semper amicos*, cf. supra I. 5, 15. ad Celsum; «Di tibi sint faciles, tibi di nullius egentem Fortunam præstent dissimilemque meæ». — *Non potuit votum*

plenius esse meum, nam præter deos etiam Cæsarem diis accessurum nominavi.

V. 28. *frustra*, iunge cum *latrantem*. — *copula dura*, vinculum ferreum in collo canis.

V. 29. *carceris*, cogitandum de carcere circi.

V. 31—32. *Thalia*, Musa, cf. adn. ad IV. 10, 56. — *titulum*, gloriam.

V. 34. *parce timere*, timuit enim Celsus, ne sibi amicitia Ovidii relegati noceret.

V. 35—36. *At non parerem* etc., vss. 35—36. corrupti esse videntur; nam versus prior sensu probabili caret, versus autem alter non apte iungitur priori. Scribendum fortasse: «At cum parerem, tibi ne nocuisse putarer, Hoc, quod non prohibet vox tua, gratus eram». — *Hoc . . . gratus*, sc. hac epistula laudatoria ad te nomine tuo occultato missa gratiam tibi rettuli.

Lib. V. eleg. 10.

De barbaria Tomitanorum.

V. 1. *Ut*, ex quo tempore. — *in Ponto*, in regione Ponti Euxini. — *ter frigore constitit Hister*, tres hiemes, ann. 9/10., 10/11. et 11/12.

V. 4. *Dardana . . . Troia*, a Dardano, rege Troadis antiquissimo, qui urbem Dardaniam condidit. — *quot*, i. e. decem annis.

V. 7—8. *solstitium*, sc. æstivum, longissimus dies anni. — *bruma* solstitium hibernum, brevissimus dies anni; cf. Paul. Fest. s. v. *bruma* (p. 23. ed. Thewrewk): «Bruma a brevitate dierum dicta».

V. 13—14. *Euxini mendax cognomine litus*, cf. adn. supra ad III. 13, 28. — *Scythici . . . freti*, cf. adn. ad III. 4, 46. — *vere . . . sinistra*, i. e. non solum sensu proprio (cf. adn. ad I. 2, 83.), sed etiam sensu translato: infelix.

V. 17—18. *tumulus*, ubi siti erant Tomi. — *ingenioque*, natura.

V. 22. *noxia tela*, venenata; cf. supra III. 10, 63—64.

V. 25. *iunctis pice . . . avenis*, σύριγξ, fistula pastoralis ex septem disparibus avenis cera aut pice iunctis constans.

V. 30. *parte*, dimidia parte; cf. adn. ad III. 3, 16.

V. 32. *Pellibus*, cf. III. 10, 19. — *longa . . . coma*, cf. V. 7, 18.

V. 33—34. *geniti Graia creduntur ab urbe*, Mileti, quæ erat metropolis coloniæ Tomitanæ; cf. adn. ad I. 10, 41. — *Pro patrio cultu*, Græco, pro tunica et pallio. — *Persica braca*, qualem Persæ gestare solebant. Braca erat Græcis Romanisque barbariæ signum.

V. 38. *Getæ*, cf. adn. ad III. 3, 6.

V. 41. *Utque fit*, fieri solet.

V. 45. *Lachesin*, una Parcarum pro Parcis. — *tam grave sidus habenti*, mihi sub infelici sidere nato.

V. 52. *Cæsaris offenso numine*, cf. I. 5, 84.

Lib. V. eleg. 11.

Ad uxorem.

V. 3. *male audit*, malum nomen habet.

V. 7. *Perfer et obdura! multo graviora tulisti*, cf. Hom. Od. 20, 18. et 5, 224: τέτλαθι δή, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης. — *Perfer et obdura*, eadem verba Ov. Amor. III. 12, 7. et A. A. II. 178.; cf. Catull. 8, 11: «Sed obstinata mente perfer, obdura» et Hor. Sat. II. 5, 39: «Persta atque obdura».

V. 10. *Mollior . . . pœna*, relegatio; cf. adn. ad I. 7, 8.

V. 11. *Ipsum*, sc. Augustum.

V. 15. *Nec vitam*, cf. adn. ad I. 1, 20. — *nec opes nec ius mihi civis ademit*, cf. adn. ad I. 7, 8.

V. 17. *facinus non affuit*, cf. adn. ad I. 2, 98.

V. 21—22. *Ipse relegati, non exulis utitur in me Nomine*, cf. II. 135—138.

V. 27—28. *flumina*, vota innumerabilia populi pro salute Cæsaris. — *exiguæ . . . rivus aquæ*, votum poetæ, unius hominis.

Lib. V. eleg. 12.

Ad amicum, qui poetam ad carmina componenda hortatus est.

V. 1—2. *studio*, sc. poetico. — *pectora nostra*, ingenium poeticum.

V. 3—4. *carmina lætum Sunt opus*, cf. supra I. 1, 39.

V. 8. *Niobe . . . orba*, cf. adn. ad V. 1, 57. — *choros*, choreas.

V. 9—10. *studio*, sc. poetico. — *Solus in extremos iussus abire Getas*, cf. supra II. 189—190. — *Getas*, cf. adn. ad III. 3, 6.

V. 11—12. *hic*, sc. hoc loco, Tomis. — *valido pectus mihi robore fultum*, ut Hor. Carm. I. 3, 9: «Illi robur et aes triplex Circa pectus erat». — *Anyti . . . reo*, Socrates, cuius accusator erat Anytus; ex Hor. Sat. II. 4, 3: «Anytique reum».

V. 15—16. *Ille senex . . . nullum Scribere in hoc casu sustinuisset opus*, Socrates in carcere fabulis Aesopeis versibus comprehendendis operam dabat. — *dictus sapiens ab Apolline*, notissima est sententia oraculi Delphici de Socrate: *σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης, ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος.*

V. 26. *Carceribus*, sc. circi.

V. 27. *in teneram cariem*, in lignum cariosum.

V. 33—34. *tabella*, cogitandum de tabulis ceratis. — *suos*, sibi convenientes.

V. 35. *qualia cernis*, i. e. Tristium epistulæ.

V. 39. *Nominis et famæ quondam fulgore trahebar*, cf. supra I. 1, 53—54.

V. 45—46. *novem . . . sorores*, Musæ. — *Vos estis nostræ maxima causa fugæ*, i. e. carmina amatoria, quibus iram Augusti in se vertit poeta.

V. 47. *tauri fabricator aeni*, Perillus; cf. adn. ad III. 10, 41.

V. 50. *Cum fugerem merito, naufragus, omne fretum*, cf. I. 1, 83—84.

V. 51—52. *puto*, ironice dictum. — *studium fatale*, mihi exitiosum. — *carminis arma*, instrumenta, adminicula carminum scribendorum.

V. 53. *Non liber hic ullus*, cf. III. 14, 37—38. — *non, qui mihi commodet aurem*, cf. III. 14, 39—40.

V. 58. *Getice Sarmaticeque*, cf. adn. ad I. 2, 82.

V. 63. *ducere versus*, cf. adn. ad I. 1, 39: «deducta».

V. 68. *Ars*, sc. amatoria.

Lib. V. eleg. 13.

Ad amicum, verisimiliter ad Cottam Maximum.

Scripta est hæc epistula verisimiliter ad Cottam Maximum (cf. infra adn. ad vs. 8.), ad quem missa est supra IV. 5 (ubi c adn.) et verisimiliter V. 6.

V. 2. *quo caret ipse,* sc. salute.

V. 3. *Aeger enim traxi contagia corpore mentis,* cf. III. 8, 2 «vitiant artus ægræ contagia mentis».

V. 6. *Seu me non modico frigore læsit hiems,* i. e. aut non i mente (cf. vs. 3.), sed in frigore Tomitano est causa mei morb

V. 8. *mea est umeris fulta ruina tuis,* ad Cottam Maximu hæc referenda videntur; cf. Ep. ex Pont. II. 3, 59—60. (ad Cotta Maximum): «Quæque ita concussa est, ut iam casura putetu Restat adhuc umeris fulta ruina tuis».

V. 9—10. *pignora,* sc. amicitiæ. — *Per numeros omnes,* e omni parte.

V. 14. *Nullus in egregio corpore nævus erit,* i. e. amicitia tu omni culpa carebit; ex Hor. Sat. I. 6, 67: «Egregio inspersos re prendas corpore nævos». — *egregio,* pulchro.

V. 19—20. *robur . . . pectoris,* cf. adn. ad V. 12, 11.

V. 21—22. *Cana . . . absinthia,* absinthium, quod a viris docti nunc *artemisia absinthium L.*, Hungarice *fehér üröm* vocatur, ha bet folia pallido colore. — *desint absinthia Ponto,* in regione To mitana frequens erat absinthium; cf. Ep. ex Pont. III. 1, 2 «Tristia per vacuos horrent absinthia campos Conveniensqu suo messis amara loco est» et ibid. III. 8, 15: «Tristia deforme pariunt absinthia campi Terraque de fructu, quam sit amara docet». — *Trinacris,* Sicula; Trinacria enim appellatur Sicilia forma trianguli. — *Hybla,* cf. adn. ad V. 6, 38. — *thymo,* und mella parabant apes Hyblææ; cf. Ep. ex Pont. II. 7, 25: «A taque quam multis floreat Hybla thymis».

V. 24. *Non ita sunt fati stamina nigra mei,* cf. adn. supra a IV. 1, 63—64. et Ep. ex Pont. II. 4, 30: «Non ita pars fati candid nulla mei».

Lib. V. eleg. 14.

Ad uxorem.

V. 1. *monumenta,* litteræ laudatoriæ ad uxorem missæ.

V. 9. *in parte,* particeps.

V. 12. *suos,* malim: *sui,* i. e. nihil sui, nihil divitiarum suarum.

V. 15. *ut,* ex quo tempore; cf. supra V. 10, 1. — *rerum sola es tutela mearum,* cf. supra I. 6, 5—8.

V. 17. *Quod nunquam vox est de te mea muta,* cf. præcipue laudes uxoris I. 6, 19—36.

V. 21—22. *stetimus,* incolumis fui. — *Et tantum probitas inreprehensa fuit,* i. e. probitas tua tantum inreprehensa fuit, sed gloriam eximiam nondum meruit.

V. 23—24. *Area . . . nunc est tibi facta,* cf. adn. ad IV. 3, 83—84. — *Conspicuum,* conspiciendum, eximium. — *ponat,* faciat.

V 27—28. *nimbo,* tempestati. — *socialis,* coniugalis.

V. 31—32. *Siqua tamen pretii sibi merces ipsa petiti,* versus corruptus; scribendum fortasse: «Si qua tamen per se est sine mercede ipsa petita», i. e. si qua virtus per se ipsa petitur neque ullam externam mercedem desiderat; cf. Ep. ex Pont. II. 3, 35: «Iudice te mercede caret per seque petenda est Externis virtus incomitata bonis» et Cic. De fin. II. 45: «Honestum igitur id intellegimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate *sine ullis præmiis* fructibusve *per se ipsum* possit iure laudari». — *ardua,* erecta, non afflicta, ut supra III. 3, 74.

V. 37—38. *Admeti . . . uxor,* Alcestis; cf. adn. ad V. 5, 55. — *Hectoris uxor,* Andromache. — *Iphias,* Euadne; cf. adn. ad IV. 3, 64.

V. 39—40. *coniunx Phylaceia,* Laodamia, cuius vir Protesilaus rex Phylaces fuit in Thessalia; cf. adn. ad I. 6, 20. — *Iliacam celeri vir pede pressit humum,* cf. adn. ad V. 5, 57.

V. 44. *Vela damus, quamvis remige puppis eat,* ut Ep. ex Pont. II. 6, 37: «remo tamen utor in aura». — *damus,* extendimus.

EXCURSUS

EXCURSUS.

I. De tertia Ovidii uxore.

De tertia Ovidii uxore in Historia litterarum Romanarum *Teuffeliana* legimus: «Frühe zweimal vermählt und bald wieder geschieden; seine dritte Frau, *Fabia*, blieb dem Verbannten treu». Similiter dicit *Schanz*: «Nachdem zwei Ehen zusammengebröchen waren, scheint sich endlich eine dritte, in der er sich mit einer Römerin *aus dem Hause der Fabier* verband, auf wahrer und dauernder Zuneigung aufgebaut zu haben». Quibus se adiungit *Ribbeck* in Historia poeseos Romanae: «Es war eine junge Witwe *aus dem altadeligen Geschlecht der Fabier*».

Fontem huius erroris tam late dispersi reperimus *Ep. ex Pont.* I. 2, vs. 138., ubi Ovidius Paullum Fabium Maximum, gentilem Fabii Cunctatoris, consulem anni a. Chr. n. 11. ita alloquitur:

> Ille ego, *de vestra* cui data nupta *domo* est,

ubi interpretes haec verba: *de vestra domo* idem atque *de vestra gente* significare falso putaverunt. Sed iam *Peter*, interpres *Fastorum*, rem non ita se habere vidit in excursu ad Fast. VI. vs. 802. scripto: «In betreff der dritten Gemahlin Ovids bemerke ich noch, dass sie kaum eine Fabia Maxima gewesen sein kann, da Ovid nirgends ein verwandschaftliches Verhältnis zu Fabius berührt, so viel Veranlassung er auch dazu gehabt hätte».

Rectissime: Fabiam enim fuisse Ovidii uxorem is tantum affirmare potest, qui versum supra laudatum solum legit, omissis versibus sequentibus; nam, si etiam versus sequentes perlegeris, aliter rem se habere statim apparebit. Sciendum enim est huius

Fabii Maximi, fautoris Ovidii, uxorem fuisse Marciam, filiam Marcii Philippi et Atiæ, materteræ Augusti, ut ex Fast. VI. 801. sqq. elucet, ubi Ovidius ita mentionem facit de æde Herculei et Musarum a Marcio Philippo restituta:

> . . . clari monimenta Philippi
> Aspicis, unde trahit *Marcia* castra genus . . .
> Nupta fuit quondam *matertera* Cæsaris illi:
> O decus, o sacra femina digna domo.

Verba Ovidii confirmantur Corp. Inscr. Græc. num. 2629: *Μαρκίᾳ Φιλίππου θυγατρί, ἀνεψιᾷ Καίσαρος θεοῦ Σεβαστοῦ, γυναικὶ Παύλου Φαβίου Μαξίμου, Σεβαστῆς Πάφου ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος.*

Legamus nunc totum locum in quæstionem vocatum, verba poetæ ad Fabium et Marciam, Ep. ex Pont. I. 2, 138—142:

> Ille ego, *de vestra* cui data nupta *domo* est.
> Hanc probat et primo dilectam semper ab ævo
> Est inter *comites Marcia* censa *suas*,
> Inque suis habuit *matertera Cæsaris* ante:
> Quarum iudicio si qua probata, proba est.

Unde apparet uxorem Ovidii initio non Fabio ipsi fuisse iunctam, sed socrui Fabiæ, materteræ Augusti, matri Marciæ, quæ eam *in suis*, i. e. in domo sua, *habuit;* hinc venit, *comes* Marciæ, in domum Fabii et ex hac domo *(de vestra domo,* non: *de vestra gente)* data est in matrimonium Ovidio. Si re vera Fabia, propinqua Fabii, gentilis magni illius Cunctatoris affinisque Marciæ fuisset, certe non potuisset *comes Marciæ* vocari.

Sed legamus finem quoque eiusdem *Epistulæ,* ubi poeta uxorem suam Fabio et Marciæ (vss. 147—150.) ita commendat:

> Sed de me ut sileam, coniunx mea sarcina vestra est:
> Non potes hanc salva dissimulare fide.
> Confugit hæc ad vos, vestras amplectitur aras:
> Iure venit *cultos* ad sibi quisque *deos.*

Uxor igitur Ovidii, ut deos, coluit Fabium et Marciam, unde eam neque propinquum Fabii neque affinem Marciæ, sed *clientam* amborum fuisse elucet.

Conferendus præterea est cum hoc loco locus alter, Ep. ex Pont. III. 1, 75—78., ubi poeta ad uxorem hæc verba dirigit:

Hoc *domui* debes, *de qua censeris*, ut illam
Non magis officiis, quam probitate *colas*.
Cuncta licet facias, nisi eris laudabilis uxor,
Non poterit credi *Marcia culta* tibi.

Domus igitur, propter quam uxor Ovidii magni æstimatur *(de qua censeris)*, est domus Marciæ, cuius *cultrix* erat. Eodem modo dicit Ovidiis *Salano*, Cæsaris Germanici in rhetoricis magistro, Ep. ex Pont. II. 5, 73—74:

Pro quibus ut maneat, *de quo censeris*, amicus,
Comprecor ad vitæ tempora summa tuæ,

ubi verba: *de quo censeris* significant: Salanum propter amicitiam Germanici esse magni aestimandum. Deinde etiam his verbis: *Marcia culta tibi*, docemur uxorem poetæ non fuisse Marciæ affinem: nam in domibus nobilium *cultores* sive *veneratores domus* appellabantur homines inferioris ordinis domum frequentantes, qualis fuit Ovidius ipse in domo fautoris sui, Messalini, qui erat filius maior Valerii Messallæ; cf. Ep. ex Pont. I. 7, 54—56. (ad Messalinum):

Non est, cur *tua* me *ianua* nosse neget:
Culta quidem, fateor, citra, quam debuit, illa est:
Sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis;

deinde Ep. ex Pont. II. 2, 1—2. (ad eundem):

Ille domus vestræ primis *venerator* ab annis,
Pulsus ad Euxini Naso sinistra freti.

Restat locus unus, Trist. I. 6, 25—28. (verba poetæ ad uxorem):

Femina seu princeps omnes tibi *culta* per annos
Te docet exemplum coniugis esse bonæ,
Adsimilemque sui longa adsuetudine fecit,
Grandia si *parvis* adsimulare licet.

Femina princeps hic commemorata, ut ex locis praecedentibus apparet, est Marcia ipsa: eadem *grandis*, uxor autem poetæ *parva*

vocatur. De Fabia quadam, femina nobilissima, certe non poterat poeta ita loqui.

Nomen igitur gentile uxoris Ovidii ignoramus; sed verisimile est eam honesto loco esse ortam. Nam matertera Augusti eam, fortasse pupillam, in domo sua educandam curavit comitemque elegit filiæ suæ, Marciæ. Postquam Marcia Fabio nupsit, comes eius in domum Fabii venit, unde in matrimonium data est Ovidio.

II. De causa relegationis.

Ex verbis illis obscuris, quibus Ovidius in libris *Tristium* et in *Epistulis ex Ponto* causam relegationis suæ tangit, culpa eius Augustum ipsum esse offensum satis elucet. Huc pertinent Trist. II. vss. 133—134., ubi poeta imperatorem alloquitur:

Tristibus invectus verbis — ita principe dignum —
Ultus es *offensas*, ut decet, ipse *tuas;*

deinde Trist. III. 8, 39—40:

Tantus amor necis est, querar ut cum Cæsaris ira,
Quod non *offensas* vindicet ense *suas;*

Trist. V. 10, 51—52:

Quid loquor, a! demens? ipsam quoque perdere vitam,
Cæsaris offenso numine, dignus eram;

denique Trist. V. 11, 11—12:

Maxima pœna mihi est *Ipsum offendisse* priusque
Venisset mallem funeris hora mihi.

Idem apparet ex verbis ad Cottam Maximum, Ep. ex Pont. II. 3, 61—64:

Ira quidem primo fuerat tua iusta nec ipso
Lenior, offensus qui mihi iure fuit,
Quique *dolor pectus tetigisset Cæsaris* alti,
Illum iurabas protinus esse tuum.

Eodem pertinent verba poetæ *de insanabilibus Augusti vulneribus* quæ contrectari — i. e. evulgari — non possint; cf. Trist. II. 207—210:

Perdiderint cum me duo crimina, carmen et error,
    Alterius facti culpa silenda mihi:
Nam non sum tanti, renovem ut *tua vulnera, Cæsar,*
    Quem nimio plus est indoluisse semel.

Quare, cum Ep. ex Pont. II. 2. 57—64. Messalinum rogat, ut pro se apud Augustum verba faciat, hæc addit:

Num tamen excuses erroris origine factum,
    An nihil expediat tale movere, vide.
Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit,
    Non contrectari tutius esse puto.
Lingua, sile: non est ultra narrabile quicquam.
    Posse velim cineres obruere ipse meos.
Sic igitur, quasi me nullus deceperit error,
    Verba fac, ut vita, quam dedit ipse, fruar.

Augustus autem ipse *vulnera sua* nominavit dedecora suorum, ob quæ primo filiam, Iuliam maiorem, deinde nepotes, Agrippam Postumum et Iuliam minorem in exilium agere coactus est, ut Suetonius in *Vita Augusti* (c. 65.) testatur: «Ad omnem eius (sc. Agrippæ) et Iuliarum mentionem ingemiscens proclamare etiam solebat: *Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι ἄγονός τ' ἀπολέσθαι!* nec aliter eos appellare, quam *tres vomicas et tria carcinomata sua*».

Ovidius relegatus est a. a. Chr. n. 8., Iulia minor eodem fere tempore, Agrippa Postumus anno 7., quare calamitas poetæ aut cum Iuliæ minoris aut cum Agrippæ exilio coniugenda esse videtur. De Iulia minore cogitavit *Boissier* in commentatione notissima *L' exil d'Ovide,** de Agrippa Postumo olim *Villenave*, qui Ovidium in Francogallicum convertit, cui nuper se adiunxit *S. Reinach.*** Nos quoque, cum Tristia et Epistulas ex Ponto commentario exegetico instruentes diligentissime percenseremus omnes poetæ locos ad exilium pertinentes, *calamitatem eius ex Agrippae causa ortam esse* invenimus.

Augustus enim post mortem prænaturam nepotum, Gai Cæsaris et Lucii Cæsaris, adoptavit privignum suum, Tiberium, filium Liviæ, et una cum eo nepotem unicum superstitem, Agrippam Postumum, filium Agrippæ, victoris Actiaci, et Iuliæ maioris. Unde

* *Revue des Deux-Mondes,* ann. 1867.

** *Revue de philologie,* tom. XXXIV. p. 342. sqq.

ortum est Liviæ et Tiberii odium in Agrippam Postumum, iuvenem importunum certe atque minime amabilem. Secundum Velleium Paterculum (II. 112, 7.) erat in eo «mira pravitas animi atque ingeni»; secundum Tacitum (Ann. I. 3.) fuit «rudis bonarum artium et robore corporis stolide ferox»; secundum Cass. Dio. (55, 32.): *δουλοπρεπής τε ἐκεῖνος ἦν καὶ τὰ πλεῖστα ἡλιεύετο, ὅθενπερ καὶ Ποσειδῶνα ἑαυτὸν ἐπωνόμαζε, τῇ τε ὀργῇ προπετεῖ ἔχρητο.* Brevi post adoptionem tempore alienavit sibi Augusti animum, nam, ut Cassius Dio (55, 32.) dicit: *τὴν Ἰουλίαν* (i. e. Liviam) *ὡς μητρυίαν διέβαλλεν, αὐτῷ τε τῷ Αὐγούστῳ πολλάκις ὑπὲρ τῶν πατρῴων ἐπεκάλει.* Quare Augustus eum abdicavit, ut ex Suetonio (August. 65.) scimus: «Tertium nepotem Agrippam simulque privignum Tiberium adoptavit in foro lege curiata; ex quibus Agrippam brevi ob ingenium sordidum ac ferox abdicavit seposuitque Surrentum». Hoc accidit a. 7. p. Chr. n. pauloque post gravior secuta est poena; cf. Sueton. Aug. 65: «Agrippam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem in insulam transportavit sæpsitque custodia militum; cavit etiam senatus consulto, ut eodem loci in perpetuum contineretur» et Tacit. Ann. I. 6: «Multa sine dubio sævaque Augustus de moribus adulescentis questus, ut exilium eius senatusconsulto sanciretur, perfecerat» et Cass. Dio. 55, 32: *καὶ, οὐ γὰρ ἐσωφρονίζετο, ἀπεκηρύχθη, καὶ ἥ τε οὐσία αὐτοῦ τῷ στρατιωτικῷ ταμιείῳ ἐδόθη καὶ αὐτὸς εἰς Πλανασίαν τὴν πρὸς Κύρνῳ νῆσον ἐνεβλήθη.* Exilium eius Tacitus (Ann. I. 3.) odio Liviæ tribuit: «Nam senem Augustum devinxerat adeo (Livia), uti nepotem unicum, Agrippam Postumum, in insulam Planasiam proiecerit, rudem sane bonarum artium et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum». Aliter Velleius Paterculus (II. 112, 7.), adulator Tiberii: «Hoc fere tempore Agrippa, qui eodem die quo Tiberius adoptatus ab avo suo naturali erat et iam ante biennium, qualis esset, apparere cœperat, mira pravitate animi atque ingeni in præcipitia conversus patris atque eiusdem avi sui animum alienavit sibi moxque crescentibus in dies vitiis dignum furore suo habuit exitum».

Augustum tamen, paulo ante mortem, pænituit suæ in nepotem crudelitatis, ut Tacitus Ann. I. 5. testatur: «Hæc atque talia

agitantibus gravescere valetudo Augusti, et quidam scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum, electis consciis et comite uno *Fabio Maximo*, Planasiam vectum ad visendum Agrippam; multos illic utrimque lacrimas spemque ex eo fore, ut iuvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori *Marciæ* aperuisse, illam Liviæ. Gnarum id Cæsari; neque multo post extincto Maximo, dubium an quæsita morte, auditos in funere eius Marciæ gemitus semet incusantis, quod causa exitii marito fuisset». Ad eandem rem pertinet Cass. Dio. 56, 30: *ὁ δ' οὖν Αὔγουστος νοσήσας μετήλλαξε καί τινα ὑποψίαν τοῦ θανάτου αὐτοῦ ἡ Λιουία ἔλαβεν, ἐπειδὴ πρὸς τὸν Ἀγρίππαν κρύφα εἰς τὴν νῆσον διέπλευσε καὶ ἐδόκει οἱ παντάπασι καταλλαγήσεσθαι. Δείσασα γάρ, ὥς φασι, μὴ καὶ ἐπὶ τῇ μοναρχίᾳ αὐτὸν καταγάγῃ*, etc. et Plin. Nat. Hist. VII. 150: «Abdicatio Postumi Agrippæ post adoptionem, desiderium post relegationem, inde suspicio in *Fabium* arcanorumque proditionem, hinc uxoris et Tiberii cogitationes, suprema eius cura». Ad *Fabium Maximum* hic commemoratum referenda esse videtur etiam Plutarchi narratio *De garrulitate* c. 11., ubi errore *pro Fabio Fulvium* scripsit: *Ἐλθόντος οὖν ἕωθεν, ὡς εἰώθει, τοῦ Φουλβίου πρὸς αὐτὸν* (sc. ad Augustum) *καὶ εἰπόντος· Χαῖρε, Καῖσαρ. Ὑγίαινε, εἶπε, Φούλβιε. Κἀκεῖνος νοήσας ᾤχετο εὐθὺς ἀπιὼν οἴκαδε καὶ τὴν γυναῖκα μεταπεμψάμενος· Ἔγνωκεν, ἔφη, Καῖσαρ, ὅτι τὸ ἀπόρρητον οὐκ ἐσιώπησα καὶ διὰ τοῦτο μέλλει ἀναιρεῖν ἐμαυτόν. Ἡ δὲ γύνη· Δικαίως, εἶπεν, ὅτι μοι τοσοῦτον συνοικῶν χρόνον οὐκ ἔγνως οὐδ' ἐφυλάξω τὴν ἀκρασίαν.*

Fabius Maximus autem, consul a. a. Chr. n. 11., et Marcia fuerunt patroni Ovidii et uxoris eius, ut supra in Excursu I. vidimus. Quare poeta, postquam relegatus est, a Fabio potissimum sperabat salutem misitque ad eum duas litteras auxilium implorans, Epist. ex Pont. I. 2. et III. 3. Postea, de morte patroni certior factus, scripsit *Epist. ex Pont. IV. 6., cuius recta interpretatio ad causam relegationis detegendam summi est momenti.* «Quod quærimus, hic est!»

Legamus igitur locum (Ep. ex Pont. IV. 6, 9—16.) in quæstionem vocandum:

Certus eras pro me, Fabiæ lux, Maxime, gentis
Numen ad Augustum supplice voce loqui.
Occidis ante preces *causamque* ego, Maxime, *mortis* —
Nec fueram tanti — *me reor esse tuæ.*
Iam timeo nostram cuiquam mandare salutem:
Ipsum morte tua *concidit* (?) auxilium;
Cœperat Augustus deceptæ ignoscere culpæ:
Spem nostram terras deseruitque simul.

Ovidius certe scivit, quod eo tempore rumore populi pervulgatum erat, Fabium ideo ad mortem esse adactum, quia Augustum cum Agrippa reconciliare voluisset. Cur igitur se incusat propter casum amici? Putavit enim Fabium sibi amicissimum non solum Agrippæ, sed etiam sibi prodesse voluisse, cum Augustum in insulam comitaretur sperans fore, ut imperator restituto Agrippa etiam Ovidio ignosceret: i. e. *poeta hoc loco causam suam cum causa Agrippæ ipse coniungit*, cum Fabium pro Agrippa mortuum propter se occidisse dicit. Salus igitur poetæ a salute Agrippa pependisse Fabiusque post reconciliationem avi cum nepote verba apud imperatorum pro Ovidio facere voluisse (cf. supra vss. 9—10.) videtur.

Eodem loco vs. 14. corruptelam latere suspicor et pro *concidit* scribendum censeo: «*constitit*,» ut restituatur apta sententiarum cohærentia hunce in modum: «Iam timeo meam salutem cuiquam amicorum mandare, ne illis noceam, ut Fabio nocui, quem rogaveram, ut mihi auxilium ferret; nam hoc ipsum auxilium mihi a te datum morte tua, o Fabi, constitit»; cf. Cæs. Bell. Gall. IX. 7, 19: «Edocet, quanto detrimento et quot virorum fortium *morte* necesse sit *constare* victoriam». Auxilium autem poetæ a Fabio datum erat reconciliatio Augusti cum Agrippa.

Cur denique dicit Ovidius vs. 15: «Cœperat Augustus deceptæ ignoscere culpæ?» Quia Augustum Agrippæ iam ignoscere cœpisse audivit, unde eum erga se quoque clementiorem fore sperabat.

Videtur igitur Ovidius per Fabium et Marciam cognovisse Agrippam Postumum fuisseque eius cultorem, et, cum Agrippa iram Augusti in se vertisset, hac amicitia inductus fecisse una cum aliis Agrippæ amicis pro salute Agrippæ tale quid, quo iram Augusti in se quoque vertit. Hæc est fortasse culpa illa, cuius magis testem quam participem se fuisse dicit Trist. II. 103—104, III. 5, 49. et

III. 6, 27. Nocuit ei certe principum amicitia, unde querelæ Trist. III. 4, 3—8:

Usibus edocto si quicquam credis amico,
Vive tibi et longe nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes, prælustria vita:
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.
Nam quamquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosit potius, si quis obesse potest,

et ibid. vss. 13—14:

Hæc ego si monitor monitus prius ipse fuissem,
In qua debebam, forsitan Urbe forem.

Erant certe eo tempore multi, qui crudelitatem Augusti in nepotem ægre ferebant; cf. Sueton. August. c. 51: «Iunium Novatum ... exilio punire satis habuit (Augustus), cum ille Agrippæ iuvenis nomine asperrimam de se epistolam in vulgus edidisset»: ibid. c. 19: «(Augustus) ne ultimæ quidem sortis hominum conspiratione et periculo caruit. Audasius atque Epicadus Iuliam filiam et Agrippam nepotem ex insulis, quibus continebantur, rapere ad exercitus destinarant».

Ex amicitia Agrippæ et Ovidii id quoque clarum fit, cur poeta salutem ab Augusto solo speraverit, ut Trist. IV. 9, 11—14. ipse dicit:

Omnia, si nescis, Cæsar mihi iura reliquit
Et sola est patria pœna carere mea;
Et patriam, *modo sit sospes*, speramus ab illo:
Sæpe Iovis telo quercus adusta viret.

Augusto enim vivo poeta restitutionem Agrippæ sperare poterat; sed occidit omnis spes Tiberio succedente, de quo Tacit. Ann. I. 6: «Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippæ cædes, quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio ægre confecit».

ADDENDA.

Ad II. vss. 415—416. cf., quae *O. Immisch* exposuit *De Eubio* in ephemeride *Philologus*, an. 1912. p. 563. sqq.

Franklin-Társulat nyomdája.